

✓ alt. Nr. 405

- 1) Piscator, J.
- 2) Jrminius, Fr.
- 3) Tossanus, Dan.

M.V.59.

V I


M.

PASTOR EVANGELICVS,
sive
DE LEGITIMA
PASTORVM EVANGELICORVM
vocatione, officio &
præsidio.


*Cum breui & perspicua refutatione eorum, qui
vel de Ministerio verbi diuini: vel de vocatione
Ministorum Euangelicorum minus
honorifice sentiunt:*

Autore

DANIELE TOSSANO S. Theologiae
professore in Academia Heydel-
bergenſi.



HEIDELBERGAE,
Anno c1o 1o xc.



3

AD INCLYTVM,
GENEOSVM ET MAGNO
RERVVM ECCLESIASTICARVM
& politicarum vsu præditum, D.
LVDOVICVM a SAYN, Comitem
in VVitgstein, &c.

AUTORIS PRAEFATIO.

INclyte & Generose D. Comes: quotiescunq;
hodie Ecclesiarum statum & conditionem a-
pud me considero: toties eius sermonis, in quem
te, cum ante annos 14. aut 15. sapientissimis tuis
colloquijs hic Heydelbergæ fruere, incidisse ali-
quoties memini: soleo recordari, metuendum ni-
mirum ne propter fœdam hominum ingrati-
tudinem res aliquando iusto Dei iudicio in eum per-
duceretur locum, ut Ministerium publicum con-
quiesceret, & p̄ aliquoz patres familias in suis
familijs pastorum munus subire cogerentur, si-
cut olim factum est in familijs Patriarcharum.

Et certe quid hodie apud plerosq; Pseudoeu-
angelicos, Pastoralifunctione vilius? quid apud
mundum odiosius? quid hæreticorum, nomina-
tim Schvvenckfeldianorum & Anabaptista-
rum morsibus & insectationibus magis obnoxii-
um? quid, in quo Iesuitæ magis laborent, & inge-
nij nervos intendant, quam in Pastorum Euan-

A ij

gelicorum vocatione exagitanda, & in dubium summamq; inuidiam vocanda? Nam si hoc obtinuerint, nullam esse, & illegitimam vocationem Evangelicorum Pastorum, illud statim consequi vident, nullo loco esse debere eorum Baptismum, Cœnam, Doctrinam, & ceteras liturgie Ecclesiasticae partes.

In illo porro argumento tractando, præ alijs se exercere, ingenijq; vires periclitari voluit Petrus Thyraeus ex Societate Iesu egressus ad bellum indicendum Evangelicis pastoribus: quorum ministerium & vocationem iuxta Canones Apostolorum, me contra falsas eius hypotheses, quas Demonstrationes vocat, tueri iniquissime fert, & coram Episcopo Vormatiensi, ad cuius patrocinium Moguntinus ille Theologus confugit, in ius vocat: quasi magnam iniuriam ordini Ecclesiastico faciam, si non tam ex nostris autoribus, quam ex veterum aliquot Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Presbiterorum, Monachorum publicis querelis, & ex ijs, quae testata sunt, & quotidie in oculos incurrunt degeneres mores cleri Romani describam, & moneam, plerosque Episcopos, nec iuxta Apostolorum, nec iuxta Patrum & Conciliorum canones ad illam peruenire dignitatem: quod dum facimus, non enim vero Ecclesiasticas functiones, sed earum abusum intolerandum, non Episcopos, qui

PRÆFATIO.

qui re sunt tales, sed qui nomine tantum, notamus: nec de moribus tantum, ut sophista ille præ se fert, sed in primis de Idololatria & corrupta doctrina litem eis mouemus. Has sane Diaboli artes, hanc eorum malitiam, qui sub prætextu Ecclesiæ Ecclesiam persequuntur, mature subodoratus est & prædixit B. Martyr Cyprianus: Diabolus (inquit) videns idola gentium derelicta, excogitauit nouam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos: & Ministros subornat suos velut Ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustreretur. Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur: nec caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina seruatur. Quæ si quis considerat & examinat, tractatu longo atque argumentis opus non est &c. Ad hanc Apostolicam & scripturæ normam Pontificios reuocamus: hæc quotidie subiicimus: de his monemus. At quid illi? inter hæreseologias numerant, si autoritate scripturæ standum esse quis pronunciet. Thyreo Pontifex Romanus est Ecclesiæ caput: illi Papa supra Concilia, supra scripturas, & planè legibus solutus: nec tamen diffitetur, quod ipsorum quoque Historiæ

*palam affirmant, Papas aliquot monstra fuisse,
 Diabolum sedem illam inuasisse: qua de re in The-
 sibus nostris de Ecclesia cōtra Iesuitas ante bien-
 nium pluribus disseruimus. Cum porro frustra
 ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebus-
 publicis, Cleri Romani reformatio petita, expe-
 dita & diu expectata fuerit; cur sint ij culpandi,
 qui in vocatione Ministrorum, non degenerum
 aliquot Episcoporum placita, sed Canones Apo-
 stolorum respiciunt, & Episcopos tales sibi ascii-
 scunt, non qui superbe dominantur Cleris, & in
 arcibus splendidis in summis delicijs viuant,
 sed qui sint apti ad docendum, & doceant Euan-
 gelium, tolerabiles sint in moribus, Sacramenta
 administrent: ex presbyteriorum, Magistratus
 & populi consensu doceant: licet non in omnibus
 Ecclesijs iisdem plane ritibus inaugurentur: nec
 eadem sit populi vel conditio vel libertas: quam
 tamen Ecclesiæ Christianæ modo prius bene eru-
 diatur, in Germania presertim restitui omnes
 p̄j & religiosi Pastores exoptant. Absit ergo,
 ut ordini Ecclesiastico infensi simus, ut Episco-
 pos & presbyteros in odium aut inuidiam addu-
 cere velimus; de quorum potius autoritate &
 dignitate vindicanda maxime solliciti sumus:
 ea vero quæ a nobis asperius dicuntur, de fucis,
 de lupis, de mercenarijs accipi volumus: Nulla
 quippe totius iniustitiæ species est capitalior,
 quam*

P R Æ F A T I O.

7

quam eorum, qui tunc, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.

Ceterum ad tuam Generositatem, inclyte D. Comes, in hoc nostro Pastore Evangelico describendo ideo præfari libuit, quia notum est per totam Germaniam, quantum in collegiorum Ecclesiasticorum libertate, & ordinis Ecclesiastici dignitate instauranda laboraris: quanta tibi ab ineunte ætate cum Ecclesiasticis consuetudo fuerit: quanto rerum usu polleas: quam probe cleri Romani mores & statum perspectum habeas: quantis votis a Deo exoptes, pios pastores & fidos operarios extrudi, & conseruari in terris primum aliquod Ministerium: quo etsi mundus vix dignus est, miserebitur tamen, propter Christum Pastorum principem, Ecclesie sue Dominus: nec animum abiicient pii hinc inde Pastores, sed potius tum de officii sui partibus, tum de præfidiis & solatiis fidorum pastorum quæ omnia hoc tractatu complexi sumus, cogitabunt: ut rite colatur Deus, & saluberrimo pabulo verbi diuini pascatur grex Christi. Amen. Per scriptum
Heidelberga 20. April. 90.

G. T.

addictiss.


Daniel Tossanus.

A 4

CAPITA HVIVS TRACTA-
tus precipua.

- 1 De necessitate Pastoralis muneris in Ecclesia contra Enthusiastas, & alios non recte sentientes de functione Pastoralis.
- 2 Definitio veri Pastoris Euangelici, cum Antithesi.
- 3 De Pastorum Euangelicorum legitima vocatione: cum refutatione cauillationum Iesuitarum, in primis vero Petri Thyraei.
- 4 De officio Pastoralis, & eius partibus.
- 5 De praesidio, & solatio Pastorum in eorum vocatione.

DE


**DE NECESSITATE
ET SUMMO VSV PASTORALIS
M VNERIS, CONTRA
*Enthusiastas, & alios contem-
tores Ministerij Eu-
angelici.***

CAPVT. I.

PLRIMUM enim uero refert, ut in re-
bus omnibus æstimandis non popu-
lares stateras, sed rectas trutinas adhi-
beamus, nec in eorum delabamur er-
rorem, qui accidētis fallacia decepti in abusum
potius quam in vsum, in vitia potius quā in vir-
tutes, ac deniq; in personas potius, quam in rei
veritatem oculos conuertunt. Illud præposterū
iudicium, si vsquam & vnquam transuersos ho-
mines abstulit: hodie certe in hac quam tractan-
dam suscepimus, causa de Pastoralis functione &
eiusdē summo vsu & dignitate multos seducit,
& ab ea, quam Ministerio Ecclesiastico debe-
bant, reuerentia abducit: dum inquam, non sco-
pum huius muneris, non autorem, non præcel-
lentiam, sed personalia quædam intuentur, vel
promiscue falsos pastores cum veris vituperant:
vel (quod hodie populare est) omnis ordinis, o-
mnium admonitionum pertesi, summæ felicita-
tis loco habent, si ipsis liceat filiorum Belial in-
star omne excutere iugum, & ita viuere, ut eis

pravi & carnales affectus suggerunt. Quapropter non abs re, statim ab initio Pædiæ Cyri scribit Xenophon, reliquos omnes pastores, qui gregibus vel armentis brutorum animalium præficiuntur, longe faciliores & obsequentiores experiri suos greges, quam eos, qui hominibus imperant: quibus plerunque pessima habetur gratia, etiam tunc, cum fidelissime officium faciunt; Verum hæc vitia sunt morum, & imbecillitati humanæ tribuenda sunt, quam sapientes & agnoscunt & redarguunt. Nos igitur de Pastoralis dignitate ita differimus, ut Pastores eos intelligamus, qui re ipsa tales sunt, ex quorum ore & labiis scientia requiritur: non qui a recta via recedunt & præter titulos splendidos nihil pastorale & episcopale habent: & de pastorali dignitate non ex sensu carnis, aut profanæ multitudinis iudicio, sed ex Dei ipsius ordinatione, & ex sacris scripturis pronunciamus.

Quam vero necessarium sit in Ecclesia fidorum pastorum munus, luculenter ostendit Christus Matth. 9. quando erga turbas pastoribus destitutas intima commiseratione commotus fuit tanquam erga dissipatas ouiculas, non habentes pastorem. Et paulo post ardentibus votis Deum exorari iubet, ut pios pastores, tanquam operarios ad messem, & quidem messem spiritualem, segetum messi longe utiliore, extrudere dignetur. Sed memorabile est in primis, quod ad Ephesios capite. 4. monet D. Paulus, non solum Prophetas & Apostolos, verum & Pastores a Christo datos & excitatos, ad coagmentationem
sancti-

sanctorum, ad opus ministerij, ac deniq; ad ædificationem corporis Christi. Præclarum igitur omnino opus desiderat, teste eodem Apostolo, 1. Timoth. 3. qui Episcopatum, siue inspectionē & curam ouium Christi, aut, vt habet Syriaca versio, presbyterium desiderat, quam functionē tum ratione subiecti, tū finis, D. Chrylostomus variis in locis, regum omnium & principum dignitates & functiones longe superare scribit.

Est enim ars artium, regimen animarum, inquit Gregorius in prima parte sui Pastoralis, pascere animas pabulo cœlesti, easdem ab insidiis Diaboli, ab hereticorum versutijs, a seductionibus mundi, ab illecebris carnis custodire: pro iis excubias agere contra omnes insultus, consilia & præsidia suppeditare: in omnibus discrimini- bus, ac in ipso mortis agone præsto esse: Christo homines despondere, & regni cœlorum mysteria dispensare: vt non immerito magnanimus princeps Valentinianus sibi gratulatus sit, & Deo gratias egerit, quod Ambrosius antea Liguria præfectus, cui subditorum corpora commiserat, dignus iudicatus esset, cui animarum institutio, & Ecclesiæ Mediolanensis gubernatio committeretur. Sunt itaque illi homines plane sensuales, in terram proni, & cœlestium inanes, qui rerum terrenarum aliqua procuratione cōtenti, de iis, quæ ad regnum cœlorum, quæ ad animarum informationem & rectam disciplinam, quæ ad Christi ouile siue Ecclesiam pertinent, aut nullas, aut leues cogitationes suscipiunt: ingrati etiam erga Deum, qui admirabilem

❧ DANIELIS TOSSANE

eius prouidentiam, quæ vel maxime in regimine Ecclesiæ in terris militantis cernitur, non suspiciunt: tantū abest, vt multis suspirijs, quemadmodum fieri decebat, pios fidosq; pastores a pastorum principe Iesu Christo sibi dari contendant. Etsi vero magna beneficia per pios Magistratus, qui etiam pastores populorum appellantur, distribuit Deus, & singulari prouidentia constitutæ sunt Politicæ: non tamen sanant vulnera cordis, non tangunt conscientias: sicut fit per Ministerium, quod Deus ipse olim in Paradiso incoauit. & sunt beneficia longe maiora, pax conscientiarum, agnitio vera Dei, spes vitæ æternæ quæ per Ministerium contingunt: quam ciuilis disciplina, & pax politica: vt non immerito vetus Ecclesia inter sua grauissima mala Psalm. 74. hoc numerarit: Signa nostra non videmus: non est ultra Propheta: nec est nobiscum, qui cognoscat vsq; quo. Verum hic obiectionibus aliquot nobis est occurrendum.

Obiectio prima.

Ezechiel. 34. sic loquitur Dominus: *Ego ipse met queram oues meas, & pascam eas.* Et Iohan. 10. *Ego sum* (inquit Christus) *Pastor ille bonus:* Ergo non competit illa functio in alios homines, præsertim cum testetur Christus Matth. 28. se nunquam abesse ab Ecclesia, & nobiscum esse vsque ad mundi finem. Respondeo: Fallacia est homonymias. Non competit quidem in homines dignitas pastoralis, qualis est in Christo, qui

PASTOR EVANGELICVS. 13

qui solus & vnus est Pastor ille præclarus, qui posuit vitam pro ouibus, & qui carne & sanguine suo oues suas pascit ad vitam æternam, cuius etiã solius vocem audire debent oues. Etsi vero ipse est ἀρχιποίμην, vt eum vocat D. Petrus cap. 5. Epistol. 1. atque ideo nullum in terris constituit ἀρχιποίμην, varios tamen pastores dedit, quorum ministerio vtitur ad oues suas ipsi congregandas, quæ interim manent oues Christi, operantis in ministerio piorum pastorum, quos qui audit, Christum audit Matth. 10. Vt maxime igitur Dominus noster & seruator Iesus τῆ κοίτης, itē gratia & efficacia Ecclesiæ sit præsentissimus: quia tamen corpore abest, ablegauit Apostolos in totum mundum cum mandato docendi omnes gentes: quod dum ex eius mandato iuxta eius præscriptum & ipso cooperante fit, manet ille verus & summus Ecclesiæ suæ pastor.

Instantia.

Atqui id temporale fuisse videtur: Ait enim Apostolus ad Ephes. 4. DEDIT: & 1. Corinth. 12. ἔθετο, posuit: in præterito tempore, non dat, in præsentia. Respondeo: Negatur consequentia, quia agit ibi non de operatione temporaria vel beneficio temporario: sed de perpetua Ecclesiæ collectione & instauratione, quãquam alias plures, alias pauciores excitat operarios: & inter dona illa nonnulla temporaria fuerint, vt Apostolorum, item dona sanationum & linguarum.

*Obiectiones Schvvenckfeldianorum: ex Epistola
Casparis Schvvenckfeldij de cursu verbi Dei:
item ex libello eius de abusu Euange-
lij: & ex Tomo Epistolarum,
Epist. 74.*

CHristus postquam in cœlum ascendit, Ecclesiam Spiritu suo sancto regit, & per eum in omnem veritatē ducit. Ergo Ecclesia non regitur per Pastores. Respondeo: Negatur consequentia: quia est fallacia diuisionis, & veterum Enthusiatarum sophisma, qui hoc ipso argumento totum ministerium & Sacramentorum usum extenuare conabantur, contra dictum Christi manifestum Ioh. 15. *Spiritus testabitur & vos testabimini: ille in cordibus, inquit Augustinus, vos in vocibus: ille inspirando, vos sonando: ut & idem contra Faustum Manichæum lib. 19. cap. 12 prudenter monet, homines ad nullum religionis nomen colligi posse, nisi per communionē visibilium Sacramentorum.*

Instantia.

Sicut Abraham Pater credentium ad Deum conuersus fuit, eodem modo credentes omnes conuerti oportet: ille autem non per Pastores & Ministros conuersus fuit. Ergo illorum opera non est opus. Respondeo. Maior est vera de ipsa conuersione, sed non de modo conuersionis: siquidem Deus non semper immediate agit, vel per visiones: sed ministerium in Ecclesia institu-

stituit, ad quod eos alligauit, qui eo vti possunt;
iuxta illud Lucæ 16. *Mosem habent & Prophe-
tas &c.*

Alia instantia.

Atqui vnus est Mediator, videlicet Christus.
Ergo & vnum medium salutis. Responsio: Ar-
gumentum a coniugatis non valet, vbi est æqui-
uocatio: quemadmodum hic. Nam Christus est
Mediator vnus, scilicet inter Deum & homines:
vtrosque morte sua reconcilians. Cæterum idē
& vnus Mediator varia habet media siue admi-
nicula perducendi homines ad sui notitiam. Vt
ergo non sequitur: Medicus sanat ægrum: Ergo
medicina non est medium sanationis: ita nec de
Christo, qui licet solus sit causa efficiens, instru-
mentales causas adhibet, prædicationem Euan-
gelij & fidem.

Aliud argumentum.

Regnum Dei (inquit Christus Luc. 17.) *non ve-
nit cum obseruatione, id est, cum externo apparatu
& ceremonijs: & 2. Cor. 3. Ministri noui Testamē-
ti dicuntur ministri non literæ sed spiritus.* Ergo lite-
rali Ministerio opus non est ad homines con-
uertendos, sed tantum ad historiam nobis re-
censendam. Respondeo: Fallacia est ignora-
tionis Elenchi: non enim opponitur ibi Spiri-
tus verbo Prædicato, sed opponitur Euangeliū,
quod vim & ἐνεργίαν Spiritus habet, legis mi-
nisterio, quæ in tabulis lapideis descripta erat.
Deinde obseruandum est Apostolum eo in lo-

co, & in Epistola ad Galatas per τὸ γράμμα, non intelligere scripturam, neque ipsas legis ceremonias simpliciter, verum earum abulum, quando videlicet in eas solas & nudas respiciebatur. Præterea constat Apostolos viua voce prædicasse, & prædicationem Euangelij insigni admodum elogio ornari, Rom. i. vbi potentia Dei ad salutem vocatur.

Instantia.

At ibi Euangelium non significat scripturam vel prædicationem, sed essentialè Euangelium, id est, Christum ipsum in corda nostra sese infundentem. Respondeo: Falsum id est, nunquam etenim & nusquam pro essentiali sermone, sed pro prædicata Christi doctrina vsurpatur: vnde ibidem vocat Apostolus Euangelium de filio Dei annunciatum Romanis, quod paratus sit Iudæis simul & Græcis annunciare.

Alia instantia.

Dei verbum non est aliquid corporale, quia quicquid in Deo est, est spirituale. Prædicatio verbi est corporis: ergo Dei verbum proprie dici non potest. Respondeo: Etsi Deus est Spiritus, hinc tamè non sequitur, eum corporales sonos non efficere, aut corpus non assumere: quandoquidem testatur scriptura, Deum optimum maximum, vt ad captum humanum sese accommodaret, & formam visibilem nonnunquam assumpsisse, & creatis sonis & vocibus Mosem & alios Prophetas multifariam alloquutum esse, Heb. r.

Instantia.

Instantia.

Atqui illi soni sunt pro externo homine, nec faciunt aliquid ad animum instituendum.

Respondeo: primum externus homo in scripturis vocatur totus homo, animo & corpore constans, quamdiu non est regeneratus: non autem, vt Schvvenckfeldius imaginatur, corporis tantum ratione. Deinde cum externa prædicatione coniungitur efficacia Spiritus S. quæ ab illis externis adminiculis separanda non est, si quidem docentibus Apostolis corda auditorum affecta fuisse liquet ex Act. 2. & 3. 13. valeant itaque insulsi illi homines, qui in prædicatione pastorum Evangelicorum nihil nisi sonos aures corporis verberantes considerant.

Alia Instantia ex libro Schvvenckfeldij

Vom Lehr ampt des neuen
Testaments/ &c.

Concedimus illam efficaciam in Apostolico ministerio conspicuam fuisse: sed hodie talis virtus in Ministris non conspicitur. Respondeo: primum Dei virtus nõ est alligata ad certa individua, imo in ipsa nostra infirmitate, Dei virtus perficitur, quæ non a personarum dignitate, sed a Dei beneplacito pendet. Secundo, nec ipsi Apostoli omnes homines conuerterunt, nec paricum fructu & benedictione omnes docuerunt: Semper enim manet illa Regula certa: Euangelium reprobis odorem esse mortis ad mortem, & cõuerti omnes ordinatos ad vitam æternam. Tertio, vt maxime Apostoli peculiaribus qui

B

busdam & Apostolicis donis præditi fuerint, nõ sequitur tamẽ, (cum diuersum experientia quotidiana testetur) inane plane esse ministerium verbi diuini, cui Dominus adhuc quotidie benedicit, licet alias plus, alias minus.

CAPVT II.

Definitio veri Pastoris cum Antithesi.

Recte ex Ieronymo & Augustino monentur Canones, Episcopatum nomen esse operis non honoris. Sed rursus male Canones Gratiani distinguunt, quando Distinct. 25. can. 2. statuunt ab Episcopo suscipiendam doctrinam fidei, a presbyteris monita vitæ, a Diaconis ordinem disciplinæ. Et rursus aliter alibi, presbyteros nimirum conficere corpus Domini, Diaconos ministrare in ijs, quæ sunt circa sacramenta, cû constet ex scripturis, & ex vetustorum scriptorũ testimonijs, eandem olim fuisse functionem Episcoporum, presbyterorum & pastorum, & tũ doctrinam tum disciplinam cum Sacramentorum administratione ipsis commendatã fuisse. Nam & 1. Petr. 5. vbi Pastoralis muneris luculenta descriptio extat, presbyteri & Episcopi & Pastores vocantur, & ex illo ipso loco talis definitio Pastoris Evangelici extrahi potest. PASTOR EVANGELICVS siue presbyter aut Episcopus est persona a Deo mediate vocata, scilicet per Ecclesiam, vel Ecclesiæ præsides & seniores ad pascendum Dei gregem, siue certam Ecclesiã sibi commissam, pabulo doctrinæ cœlestis,

lestis cum quo coniunctus est usus Sacramento-
rum: & ad vacandum inspectioni gregis, vt o-
mnia decenter & ordine fiant in Ecclesia, & ser-
uetur disciplina, nec tamen dominetur hæredi-
tati Domini, sed præbeat se exemplar gregi. His
consentanea vide apud Chrysoft. lib. 3. de digni-
tate sacerdotali, Ambrosiū in tractatu vnico de
dignitate sacerdotali, Ier. ad Nepot. & in Apolo-
getico Nazianzeni. Et sic inter alios Ambrosius
in 4. ad Eph. Timotheum presbyterum episco-
pū vocat Paulus: quia primi episcopi presbyteri
vocabantur: sed quia cepere sequentes presbyteri
indigni inueniri, immutata est ratio, prospiciēte
concilio, vt non ordo sed meritum crearet Epi-
scopum, multorum sacerdotum iudicio consti-
tutum. In lege nascebantur Sacerdotes ex gene-
re Aaron: nunc omnes sumus ex genere Sacer-
dotali. 1. Petr. 2. Sic & Ieron. in Epist. ad Tit. idē
esse scribit presbyterum, quod Episcopum.

Et Gregorius ipse tum in pastoralis, tum Epist.
2. monet sacerdotum esse concionari: & mortu-
um esse coram Deo sacerdotem, si sonus doctri-
næ ab eo non audiatur: quod significatum fuerit
in lege Exod. 28. quando ingrediens ad mini-
strandum in tabernaculo sonum ex tintinnabu-
lis edere debuit.

Antithesis iam & quidem ex ipsis Canonibus
Gratiani colligi potest, Pastores & Episcopos
non esse, qui non expetiti ab Ecclesijs irrepunt
in Episcopatus: Item, qui sacros ordines emunt:
qui sunt percussores non pastores: quem non
doctrina & laudabilis vita commendat, qui non

aptus est ad docendum. Malos Pastores ita describit Scriptura, Ierem: 5. Res stupenda in terra: Prophetæ prophetant falsa, & dominatum siue tyrannidem exercent. Item Iere. 23. Qui sua cõmentata pro dictis Iehouæ in populum disseminant. Item Ezech. 34. Qui se ipsos pascunt, non gregem Domini.

CAPVT III.

*De Pastorum Euangelicorum legitima uocatione, cum
refutatione repetitarum obiectionum
Thyrei Iesuitæ Mo-
guntini.*

EXtra controuersiam est, si uispiam alibi, tum maxime in Ecclesia Dei, omnia decenter & ordine fieri oportere, nec ullum sibi debere sumere honorem: sed expectandam Dei uocationem Hebr. 5. v. 4. & ad Roman. 10. v. 15. Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Ideo merito reprehenduntur Ierem. 23. v. 21. Prophetæ illi, qui non missi currebant. Et legitimæ uocationis conscientiam magnum solatium & aculeum esse ad munus intrepide obeundum monet D. Paulus 2. Timoth. 1. Suggesto tibi, ut exsuscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum: id est, quod tibi legitime uocato ad Ministerium, (cuius uocationis externum symbolum fuit solennis manuum impositio) contigit. Ne igitur te pudeat testimonij Domini, &c. Vbi notandum est præclarum dictum Ambrosij libr. de dignitate sacerdotali. Quis dat, frater,

ter, Episcopalem gratiam, Deus an homo? Re-
 spondes: sine dubio, Deus: sed tamen homi-
 num ministerio utitur Deus: Homo imponit
 manus, Deus largitur gratiam: Episcopus initiat
 ordinem, Deus tribuit dignitatem: & sic ac-
 ciendum est illud Caluini in 13. Actorum
 Apostolorum: Vocatio proprie est Dei solius:
 Externa ordinatio Ecclesiæ. Nam licet dat il-
 le Doctores pastores, & operarios extrudit in
 Messem suam, vult tamen ordinem esse & pro-
 bationem spirituum in Ecclesia, quæ est Dei do-
 mus: in qua religiose & decenter versari oportet.
 1. Timoth. 3. v. 15. Quare & Nouatiani olim
 recte a Cypriano increpati sunt epist. 6. lib. 1. nec
 pro Episcopis habiti, qui Euangelica & Aposto-
 lica traditione contempta nemini succedentes a
 seipsis ordinabantur: Habere enim Ecclesiam
 non potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. Et
 in Manichæis hoc inter alia improbatum fuit,
 quod 12. novos doctores sibi ascisciebant, quos
 12. Apostolos representare fingebant, & his de-
 cimum tertium quasi principem præficiiebant.
 Sicut & peccant Anabaptistæ, qui idiotas & opi-
 fices contempto ordinario Ministerio Pastores
 sibi asciscunt, cum nec temere cuiquam manus
 sint imponendæ, 1. Timoth. 5. v. 22. nec militan-
 tes in hac militia, vitæ negotiis implicari oportet,
 2. Timoth. 2. v. 4.

Cæterum quod ad legitimam & ordinariam
 vocationem siue ordinationem Ministrorum
 & pastorum in Ecclesijs bene constitutis atti-
 net: tria volunt canones Apostolici & veteris ac

purioris Ecclesiæ exempla a nobis considerari, primum quales vocandi siue ordinandi: secundo, a quibus: tertio, quo ritu, qua forma & solennitate. His excussis de vocatione quoque extraordinaria, quando perturbatus est Ecclesiæ status, & iacet ordo ac politia Ecclesiæ, dicemus: ac demum ad obiectiones aliquot præcipuas Iesuitarum contra vocationem ministrorum Euangelicorum breuiter & perspicue respondebimus.

Non immerito sane apud ipsum Gratianum causa i. q. i. hæc commonefactio legitur, Si qui Episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem non liceat esse, ius ordinationis vltimus non habebunt: Sacerdotales enim promotiones præ cæteris omnibus, magis accurate dari & accipi debent: quia nisi id fiat, eo desinit esse ratum, quod digne non fuit perfectum. Et grauius in primis Iustinianus constituit, Nouella 6. & 123, Magna sollicitudine recta ordinatio Ministrorum Ecclesiæ procuranda est: id enim non paruam delinquendi occasionem præbuit, quod Episcopi & presbyteri sine examine de recta fide, & sine testimonio de vitæ honestate ordinentur. Quod vero ordinationes sacerdotum (inquit) cum summa fieri diligentia conueniat, docet nos Gregorius Theologus in Apologético his verbis: Quis quasi figulina vasa vno eodemque die fingat Ministerij antistites? Multi simul discipuli & magistri esse volunt, veterani malitia, tyrones pietate, a sacris alieni, sacrorum principes. Bene autem vniuersa geruntur, si rei principium

pium fiat decens, & Deo gratum. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam laudabiles illi & venerandi Dei ministri Apostoli tradiderunt, & sancti postea patres custodiuerunt.

Quales Apostoli presbyteros siue Pastores ordinari voluerint.

Primum decet Pastorem quantum fieri potest, a puero innutritum esse in sermonibus fidei bonæq; doctrinæ. 1. Tim. 4. v. 6. & 2. Timoth. 3. v. 15. aut saltem non nouitium. 1. Timoth. 3. v. 6. ne inflatus incidat in criminationem Diaboli, quia scilicet, vt Ambrosius in illum locum scribit, rudis in fide, maxime si ordinetur, se extollit superbia, nouitate & potestate inflatus: & Satan inuēta occasione superbiæ, facile eū præcipitat.

Secundo oportet Pastores eligi tenacissimos doctrinæ salutaris & Apostolicæ, vt possint exhortari per doctrinam sanam, siue applicare doctrinam, & contradicentes conuincere, Tit. 1. Pastori enim præcipue incumbit, vt laboret in sermone & doctrina, id est, in docendo, monendo, consolando, exhortando.

Tertio licet non omnes Chrysostomi & Ambrosii esse possint, & nonnunquam per mediocria organa, & homines parum literatos Ecclesiam non parum ædificarit Dominus, vt per plerosque Apostolos, per Spiridionem & Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, quorum historia Ecclesiastica meminit; non est tamen propter extraordinaria illa exempla a regula

discedendum, sed quantum fieri potest eligendi & vocandi apti ad docendum, 2. Timoth. 2. qui recte possint secare verbum veritatis, & per consequens, disciplinarum & imprimis logices non sint plane rudes. Nec immerito monet Augustinus lib. de Ordine, cap. 16. ne quisquam temere accedat ad graues quæstiones explicandas, qui liberalibus disciplinis non sit instructus: verba autem voluere, & celeritate tantum dicendi apud imperitum vulgus, admirationem sui facere, imperitorum est, inquit Ieronimus ad Nepotianum.

Quarto, requiritur, vt Pastor in moribus sit inculpatus, id est, vt Apostolus interpretatur, nullius criminis reus, exempli causa, non adulter, aut scortator, sed vnius vxoris maritus: non vinosus, sed sobrius: non percussor, sed moderatus: ab omni auaritia alienus, qui propriæ domui bene præsit, & ciuilitè bonum testimoniũ habeat ab ipsis extraneis, id est, ab alienis ab Ecclesia, ne possit ei flagitium aliquod obijci. 1. Timoth. 3. Idcirco veteribus in more positum erat vt nomina designatorum & ordinandorum publice omnibus in tabella proponerentur, & hoc pacto hominum iudicia de iis exquirerentur.

Cum his Canonibus Apostolorum consentiunt pleriq; canones veterum, videlicet ij, qui sub titulo canonum Apostolicorum circumferuntur, & canones veterum conciliorum & Patrum, quos Gratianus corrasit, vbi hæc inter alia leguntur, caus. 2. quæst. 7. Qui susceptum officiũ non administrat, non est Episcopus, sed Canis impu-

impudicus. Item, Qui Episcopus ordinandus est antea examinetur, an natura sit prudens, docilis, moribus temperatus: an vita castus: an sobrius, humilis, literatus: an in lege Domini instructus. Item, Nullus ordinetur, nisi probatus examine Episcoporum, & populari testimonio. Item, nō sunt habendi inter Episcopos, qui nec a clericis eliguntur, nec a plebibus expetuntur. Item, ex concilio Carthaginensi: Episcopus non Dominum, sed collegam se presbyterorum agnoscat. Item, officium sacerdotum non cōfert, sed adimit licentiam peccādi. Item illud Gregorij: Nos qui præsumus non ex locorū vel generis dignitate, sed morū nobilitate & fidei puritate innotescere debemus, nō ex verborum celeritate. Item Episcopus, aut presbiter, aut Diaconus aleæ atq; ebrietati deseruiens, aut desinat, aut damnetur.

De coniugio sacerdotum pugnancia plane tradit Gratianus in Decreto, & quæ ipsa glossa conciliare nequit, vt sunt hi Canones: vnius vxoris virum oportet esse Episcopum: si ante habuit coniugem non imputatur ei. Item, Qui iterat coniugium, culpam quidem non habet coinquinati: sed prerogatiua exiit sacerdotis. Item, in Nicæna synodo Paphnutius confessor, honorabiles nuptias docuit: castitatem dicens esse cum propria coniuge concubitum: & eius sententiā, qui tamen nuptiarum inexpertus erat, synodus laudauit. Et rursus, Distinct. 34. can. 2. Qui non habet vxorem, loco eius concubinam habere potest. & Can. 6. Qui virginem non duxit vxorem, sacros ordines non accedat.

*Penes quos sit potestas eligendi & ordinandi
Ministros Ecclesie.*

Gravis hæc est quæstio, & de qua non plane quidem eadem videtur esse Theologorum nostri temporis sententia, sicut nec eadem in Ecclesiis eligendi & ordinandi consuetudo: & tamé de iis, quæ essentialia sunt, & in ministris Ecclesie necessario requiruntur, nulla inter Evangelicos est controuersia: modo eius sumus memores, quod alicubi scribit Cicero: aliud esse aliquid suadere, quod faciendum sit, aliud ferre aliquid, quod recte mutari non potest. Licet enim optima forma semper optanda est: non tamen sequitur, nullo modo esse ordinatum, vel non esse ministrum eum, qui non plane eo modo siue iis ritibus, qui requiruntur, ordinatus est, modo alias sibi sit conscius vocationis internæ & mediocrium donorum: item se malis artibus ad eam dignitatem non peruenisse. Nam qui non canonicè electus est, sed pecunia, aut hominum fauore illud munus redemit, non Apostolicus sed Apostaticus habetur, Distinct. 79. Apostolorum porro temporibus cum a religione alieni essent Magistratus, electionibus & ordinationibus Pastorum præerant Apostoli, & Apostolici viri: verum ita, vt accederent, & preces & suffragia Ecclesie, quæ per *χερπολοviaν* colligebantur: vide Act. i. v. 23. 24. 26. & Act. 14. v. 23. Quod igitur mandatur Titò cap. i. vt oppidatim constituat presbyteros, non est ita accipiendum ac si ad vnum hominem ius omne delatum fuisset, quod

quod ne ipsi quidem Apostoli sibi usurparunt, sed vt actionem dirigerent pastores, & salutari consilio aliis præirēt. Quare Cyprianus Epist. 4. libr. 1. de Diuina auctoritate descendere scribit, vt sacerdos plebe præsentē sub omnium oculis eligatur: & expresse iubent canones a Gratiano collecti distinct. 24. & 61. vt nullus Episcopus sine populi consensu eligatur. Et extant apud Augustinum Epist. 110. acta excepta a Notarijs in designando Eradio presbytero, qui Augustino succederet, & quem ille, cum se iam senem esse videret, & recordari se diceret, post obitum Episcoporum per ambitiosos & contentiosos homines Ecclesias turbari, Ecclesiæ Hipponensi proposuit, vbi inter alia ait, non sat esse, apud Clericos designari successorem, nisi plebis Christianæ consensus accedat, quem consensum populus Hipponensis, qui designati Episcopi doctrinam & vitam exploratam habebat, publica acclamatione testata est, dicens: Deo gratias, & Christo laudes: conceptis etiam precibus & votis pro designato Episcopo. Intolerabile itaque est, Papam Romanum in ordinatione & electione Episcoporum tantam sibi arrogare auctoritatem, vt sine eius assensu nullus vspiam habeatur Episcopus confirmatus: illo vero assentiente vel obtrudente, Episcopos admittere oporteat quosuis etiā ignotos, & ineptos ad docendum. Quid? quod sæpe accidit, vt infantibus in cunis adhuc vagientibus Episcopatus & Cardinalatus donentur? Clauēs certe siue œconomia Ministerij Ecclesiastici & Ecclesiæ non soli Petro cō-

missæ fuerunt, sed & reliquis Apostolis, vt liquet ex 20. cap. Ioannis. Idcirco inquit Augustinus. Homil. 50. in Iohannem: Quemadmodum Petrus vnus pro omnibus confessionem edidit, sic de clauibus ei dicitur, quod ad omnes pastores pertinet. Nec frustra monuit Gregorius in Epistolis, titulum Episcopi vniuersalis, esse titulum præcursoris Antichristi. Si quis vero obijciat, in Cathedralibus saltém Ecclesijs Canonicos ad electionem noui Episcopi conuenire, & libere sententias dicere, Respondemus, nihil tam irregulare & dissolutum ijs ipsis, qui Canonicos se vocant, & Apostolicos canones se seruare profitentur. Etsi enim aliquid libertatis inter se retinent, populum tamen Christianum plane excludunt, & largitionibus ac factionibus sunt eorum electiones plenæ. Cæterum errat Thyreus, quando in Epistola ad Episcopum Vormatiensem, quam præfixit suis Tautologijs de uocatione Ministrorum: texit longum catalogum nostrarum, (vt fingit) calumniarum contra viros Ecclesiasticos, quibus magna debeat reuerentia: & ex Augustino ad Hipponenses citat illud dictum, *Hæreticos cum nihil habeant, quod de causa dicant, vitia hominum colligere, &c.* Atqui nos de causa ipsa & de toto Dei cultu Pontificijs litē mouemus, nec non & de essentialibus requisitis ad uocationem legitimam Ministrorū. Præterea, non tam nostras, quam eorum ipsorum qui inter Pontificios clari fuerunt, querelas de eleri Romani deformatione producimus, vt D. Bernardi, cardinalis Cusani, Gersonis, Platinae, Petrar-

Petrarchæ, Baptistæ Mantuani & aliorum innumerorum. Denique nostræ insectationes non feruntur in ordinem Ecclesiasticum, (quem & nos maximi facimus) sed in eos, qui illa dignitate abutuntur, & legem Domini transgrediuntur, vt Malachias Propheta cap. 2. in degeneres Lenitas inuehitur, & Ezechiel in Idololatrias sui temporis cap. 25. & 23. quibus verbis nihil grauius aut asperius inueniri potest.

Sed quæritur iam, quid de ordinationibus & iure patronatus inter Euangelicos statui debeat: Item de iure principum & senatum Ecclesiasticorum vel presbyteriorum, siue consistoriorum: Et an tales electiones & ordinationes sint legitimæ? Respondeo, primum tantam fuisse sub Papatu tyrannidem, & tantum potestatis Ecclesiasticæ abusum, sæpe etiam tantâ ἀταξίαν & negligentiam, vt ad principes & Magistratus, contentientibus populis Christianis, & conque- rentibus plurimis etiam claris & magnæ notæ Ecclesiasticis de Pontificum audacia & insolentia, deuoluta sit rerum Ecclesiasticarum procuratio & deuolutum ius patronatus: Quo tamen alij melius, alii non tam bene vsi sunt. Nec diffitemur nonnullis in locis nonnulla adhuc desiderari, quæ ad Canonicam & legitimam ordinationem ministrorum faciunt.

Et sunt tamen non pauca Euangelicæ Ecclesiæ, quæ ad formam veterem & Apostolicam propius accedunt, vt sunt Ecclesiæ in Gallia, Belgio & plerisque ciuitatibus Euangelicis Helueticæ, vbi electiones quidem moderantur ministri &

seniores, vel certi Ecclesiæ præpositi: qui in maioribus ciuitatibus viritim, siue per tribus suffragia colligunt: vel (vt in Gallia) tribus vicibus publice pro concione nominantur designati, vt si quid in eis desideretur id ad presbyterium referatur, & examinetur. In nonnullis prouinciis, Archiepiscopi & Episcopi adhuc supersunt, qui doctrinam quidem puriorem profitentur & in coniugio viuunt, sed, vt Episcopi in Papatu, res simul politicas & Ecclesiasticas tractant, & solitam illam pompam & dignitatem retinent. de qua re etsi non plane eadem sunt Theologorum nostrorum iudicia, eodem tamen fere redeunt. Nonnulli putant, id tolerari posse non suaderis neq; enim decere Episcopos simul etiam esse & vocari Principes, & laudandum potius eorum zelum, qui splendidos illos titulos prælatorum idcirco auersantur, quod metuant, ne cum nominibus & titulis illa etiam ipsa ambitio & tyrannis, quæ fuit in Papatu, in Ecclesias irreat. Interim fatentur non plane temere, nec malo fine, in Ecclesiis olim, Metropolitanos, Patriarchas, Episcopos & alios gradus institutos fuisse: quanquam postea incredibilis sequutus est abusus, & secularis potestatis cum Ecclesiastica cõfusio, ac sentiunt, eorum mandatis etiam ciuilibus nõ pugnantibus cum lege Dei, parere populum Dei debere, quando quidẽ a summo magistratu eis tribuitur illa potestas. Nã de impiis mandatis & falsis prophetis prohibitionẽ expressam habemus Mat. 7. *Cauete vobis, &c.* Item 2. Ioh. v. 20. *Si quis venit ad vos & non adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere &c.* Alii vero ex nostris theologis de talibus Episcopis

scopis sincere & cordate sic scribunt; Orādi sunt cū lachrymis Episcopi, qui pontificiis successerunt, vt non cōquiescāt, donec tyrannis illa, quæ Ecclesiā perdidit, destruat. Quod ad nos attinet, nolimus ministeri Dei functionem hac ratione oblatam admittere, quib. tamen aditū hoc modo Deus ad propagandam ipsius regni gloriā aperuit, eos hortamur, vt fortiter in Domino perseuerent: ita tamē, vt liceat eis suo ministerio fungi, &c. Et tunc enim vero laudabile fuit Episcopatū quærere, (inquit Gregorius in pastoralis) quando per hanc ianuam non dubium erat ad supplicia graua peruenire. Quod porro nōnulli exemplo Maccabæorum fratrum, filiorum Mathatix niti volunt, qui erant ex gente sacerdotali, & regnum cum sacerdotio cōiunxerant, nihil pro iis facit, primum quia singulare & extraordinarium est exemplum: deinde, quia non sequitur, eos bene fecisse. Et laudatur quidē in iis zelus & fortitudo in liberanda patria, non autem perpetua coniunctio vtriusq; potestatis, ciuilis & Ecclesiasticæ, quæ in ordinaria gubernatione & reb. bene cōstitutis confundi non debet: quā admodum præclare Eulogius quidam, vt recitat Theodoretus, præfecto Valētis, nomine Imperatoris blasphemos concionatores obtrudētē respondit: *An ergo Imperator Pontificatum cum Imperio adeptus est?*

Ceterum quod ad principes Euangelicos in Germania attinet, veteres quidē canones neminem volunt agnosci Episcopū, qui principū tantū aut magnatū autoritate sit promotus: interim dist. 63. decr. Had. Papa cū vniuersa synodo

Lateranensi potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem Carolo Regi concessit: insuper Archiepiscopos & Episcopos inuestituram ab eo accipere voluit: Et extat Petri Bembi Cardinalis epistola ad Franciscum primum, regem Gallia, qua nomine Cardinalis Bernhardi Bibienæ petit, vt liceat ei sacerdotia sua nepoti conferre: Et ante annos plus minus ducentos sexaginta, edita fuit Apologia quædã a Matilio Patauino pro Ludouico Bauaro Imperatore, vbi inter alia dicitur, decretales Pontificum nec diuinas nec humanas esse leges, & Pappas Constantini potius quam Petri successores esse velle: cum eorum tamen docere potius sit, quam imperare, eosdem inique ad se rapere ius Principum, & omnia perturbare. Certum autẽ est Principes, ius illud patronatus annuentibus clericis & populo consentiente sumsisse, & cum sint vtriusq; tabulæ ac ordinis in primis politici custodes, & eorum maiores Ecclesias plerasq; ditarent, non omnino malo titulo eo iure vti, modo non abutantur. Vt vero non temere conqueruntur nonnulli pij Theologi de ijs Magistratibus, qui excussa Papæ tyrannide ius & libertatem Ecclesiasticam in ordinationibus Ministrorum restitui non curant, nec populum de suo iure edoceri, sic (vt sunt hodie homines in plerisque Germaniæ locis) tolerabilior videtur hæc ratio, qua vtuntur principes, & Respublicæ Euangelicæ, quam si populo minus instituto aut idoneo ad Electiones omnis electio simpliciter committeretur. Nam cum aliqui iuris & suffragij

populo

populo commissum fuit in vetere Ecclesia, hoc præsupponebatur, quod scribit Cyprian. epist. 4 lib. 1. *Plekem illam esse obsequentem dominicis præceptis, & Deum metuentem.* Deinde quando principes ad illas Electiones selectos viros cum ministris adhibent, talesq; qui huiusmodi deliberationibus Ecclesiasticis omnino vacant, non confunditur Ecclesiastica gubernatio cum Politica: & extat cõstitutio Iustiniani 123: quæ in ipso decreto Gratiani distinct. 23. probatur, *ut quoties opus fuerit ordinari Episcopum, cocant in unum clerici & primores ciuitatis, iurentq; se electurum, qui fidei & vitæ sit probata.* Denique non omnis libertas populo adimitur, quia cum a superintendentibus vel inspectoribus præsentantur ordinati alicui Ecclesiæ, id fit hac lege, vt liberum sit toti Ecclesiæ quotiescunque volet, in primis autem in visitationibus annuis suam de ministris sententiã dicere, & censuram tum in doctrinam tum in mores instituere. Verum hoc imprimis ordinatos sub Principibus in sua vocatione confirmare debet, quod essentialia vocationis Canonice retinentur, videlicet preces, electio personæ idoneæ, examen doctrinæ & morum, & aptitudinis ad docendum saltem mediocris, & solennis præsentatio ad Ecclesiam cum hac conditione, vt liceat ei probare spiritus, an ex Deo sint, & cõsentientia scripturæ & Symbolis tradant. Quapropter qui ita ordinantur, bonam habent conscientiam, licet non plane eodem modo ordinati sint, qui rebus melius cõstitutis requireretur. Si tamen in suo ministerio ita se gerant, vt popu-

lus, licet initio propter imperitiam vel præiudicia reluctetur, tandem comperiat & intelligat, eos esse fidos pastores, & pro talibus eos agnoscat. Neque enim in eorum sententiam pedibus ire possum, qui ministrorum Electiones simpliciter & semper penes Magistratus esse volunt. Nam quod ex I. Chron. cap. 16. de Davide adferunt, qui Sacerdotes, Levitas & cantores ordinavit: extraordinarium est, quia David Prophetæ simul & regis personam gessit, & habet locum talis ordinatio in perturbato Ecclesiarum statu, qualis est tunc, cum & Principes & sacerdotes veritatem persequuntur, ut de tali depravatione querela extat Ierem. 5. imo accidit nonnunquam in magnis illis perturbationibus, ut pios patres familias, vel pastores suarum familiarum agere oporteat, vel in ea loca commigrare, ubi purus Dei cultus viget, donec Dominus Ecclesias seductas repurgaverit.

Verum non intempestive hoc loco quæri potest, quidnam de eorum vocatione sit sentiendum, qui vocationes ex Papatu habent.

Respondeo, vocationem quidem Ministrorum in Papatu non esse bonam, si proprie loquamur, & tamen non esse plane nullam: Primum quia etsi Papatus non fuit Ecclesia, in medio tamen Papatu aliqua Ecclesia superfuit, quemadmodum & vestigia aliqua veteris disciplinae & veterum Canonum in Papatu reperiuntur, & inter eos nonnulli donis non contemnendis præditi omnibus temporibus extiterunt, qui & de persona Christi & de eius officio tolerabi-

rabiliter docuerunt, quod ipsum Calvinus in Epistola ad Lelium Sozimum non dissimulavit: *Ecclesia dissipata vestigia, in Papatu sunt, & ibi aliqua Ecclesia licet de fermis remansit: & pag. 348.* in iisdem Epistolis ad quæstionem de ministris non legitime per omnia vocatis respondet, vel per modum tolerantia sustinendos, vel libertate maiore Ecclesie restituta eos culpam agnoscere debere, & confirmari, quod potest fieri datis dextris *νοινωνας*, quando alias de doctrina eorum & moribus constat, & ingenue agnoscent & confitentur, quam grauiter peccarint, missificando & persequendo veritatem, sicut D. Paulus culpam suam coram toto mundo agnouit, vide I. Timoth. I.

*Quæstio de extraordinarijs vocationibus:
quando & quomodo locum
habeant.*

Quæ hætenus dicta sunt, & paulo post dicentur de ritibus ordinationis, locum habent in ordinario Ministerio & Ecclesijs constitutis: Sed cum non sint semper eadem Ecclesie tempora, & vt paulo ante dictum est, iusto Dei iudicio nonnunquam accidat, vt tum Magistratus tum Sacerdotes sint impii & idololatæ, quæritur quomodo agnosci debeant extraordinariæ vocationes, & quid de eorum vocatione sentiendum sit, qui patrum nostrorum memoria primi Euangelicæ doctrinæ instauratores fuerunt. Quæ-

admodum porro credimus, Ecclesiam aliquam
semper esse in terris: ita certum est, non eadem
esse eius tempora & eundem statum. Nam & tē-
pore regis Achaz fuit templum clausum, & Elię
tempore tanta verorum Dei cultorum raritas,
vt se propheta solum relictum esse putaret. Sub
Christi natiuitatem, qui Ecclesię præerant, tan-
topere erant deprauati, vt eos progeniem vipe-
rarum Iohannes Baptista, eorum templum latro-
num spelæam Christus appellauerit. Post Chri-
sti ascensum in cœlum Antichristos multos ir-
repsisse in Ecclesiam conqueritur Apostolus Io-
hannes: & postea inualecente Arrianismo nu-
tasse totum Orientem testantur Patres. Ac tunc
quidem cum nonnullis in locis ita perturba-
tum esse contingit Ecclesię statum, vt nec magi-
stratus, nec Pastores officium faciant, oportet
pios patres in suis familiis agere Pastores, suasq;
instituire familias, quemadmodum fecerunt A-
braham, Isaac, Iacob, Tobias, Eleazar & pater
Maccabæorum tempore perseuutionis Anti-
ochi, vel quod tutius est, eo commigrare, vbi pu-
rius Ministerium inueniri potest. Tota enim Ca-
tholica Ecclesia nunquam simul errat, quia in a-
liquibus locis seruat Deus lucem veritatis, & ali-
quos qui purius doceât. Deus autem pro sua ad-
mirabili prouidentia quotiescunq; in ordinario
Ministerio magnam & intolerabilem vidit de-
prauationem, extra ordinem excitauit pios do-
ctores, qui populum erudirēt & errantem in vi-
am reducerent, vt in Vetere Testamento tem-
pore Leuitarum, prophetas, in Nouo Testamen-
to

to Apostolos, item ex Diaconis nonnullos, Stephanum & Philippum, qui non expectata ordinaria ad docendum vocatione magno zelo Evangelium docuerunt. Sic constabilita tyrannide Papatus post tempora Gregorii primi varios eximios viros, licet diuersis donis præditos excitauit, quorum alii Artolatriæ, alii corruptis cleri Romani moribus sese opposuerunt, vt Bernhardus, Bertramus, Rabanus Maurus, Vicleuus, Hussus, Lutherus & alii, vt de Valdensibus, quos aliqui pauperes de Lugduno vocarunt, inter quos ab Irenæi temporibus aliqua Ecclesia mansit, nihil dicam. Non habet quidem ista vocatio extraordinaria semper locum, sed primum quando talis deprauatio, & ἀταξία obtinet, vt frustra ordo expectetur: Secundo, cum optata occasio occurrit: & inueniuntur greges quærentes pastorem & pabulum vitæ, vt erant in Bohemia tempore Hussi, & tempore Lutheri in Germania. Tertio quando ad docendum profiliunt non quilibet homines, sed viri insignibus donis præditi, concionandi in primis & annunciandi Euāgelium: qui & parati sunt cuius petenti fidei suæ ex verbo Dei reddere rationem, & postea Ecclesiis collectis & constitutis ordini Ecclesiastico se subiiciunt, & eum ordinem reuerentur, sicut patrum nostrorum memoria factum est, quæ omnia de sectis, & aliis erroribus se ad ministerium ingerentibus dici non possunt. Sed & hoc accedit, quod & primi Euangelicarum Ecclesiarum instauratores fere omnes vocationem aliquam ordinariam in ipso Papatu habuerunt,

quam vt non plane legitimam sic nec plane nullam censemus. Tales fuere Lutherus, Bucerus, Caspar Hedio, Oecolampadius, Capito, Mathias Cellus, Ambrosius Blaurerus in Germania: in Italia Petrus Martyr, Ieronimus Zanchius: in Gallia, Faber Stapulensis, Girardus: licet hi suos n̄uos habuerint, Farellus, Viretus, Iohannes de spina: in Anglia Cramerus, Hopperus, Rogerius, Ioannes Iuellus & alii quā plurimi, q̄ postea ordinem in ordinādis ministris iuxta Canones Apostolorum in Ecclesias reuocarunt. Nam quod aiunt Pontificii, eos factos Apostatas, & ordine ac potestate omni excidisse, mera est petitio principii Neque enim vel vxorem ducere, vel reformare abusus & docere Euangelium sunt causæ legitimæ, cur quis amittere debeat ius vel functionem Ecclesiasticam. Miraculis vero non semper opus est ad probandam vocationem extraordinariam. nam & ipsi Apostoli docuerunt, antequam signa facerent, & maius est miraculum, inquit Augustinus, conuersio miseri peccatoris per prædicationem Euangelii, quam resuscitare mortuos.

De ritibus & solemnitatibus ad vocationem ordinariam pertinentibus.

De Pontificiis vere dici potest, quod Christus Matth. 23. de Phariseis dicebat: *Va vobis scribæ & Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, id est, in minutis estis anxii & curiosi: & omittitis ea in lege, quæ grauiora sunt, & plus habent momenti*

momenti: Sic ad ritū vocationis requirunt vincti-
ones, requirunt tonsuras, & collationē ordinum
per Episcopos, q̄ ordinariā habeant successionē.
De his vero omnib. nihil habent Canones Apo-
stolorum, nec Titus aut Timotheus aliis succes-
serunt, nec de successione eodem modo scribūt
ipsi Pontificii. Turrianus vult Papam Petro, E-
piscopos reliquis Apostolis, presbyteros septua-
ginta discipulis successisse, quod plane est ridi-
culum. Deinde cum hic agatur nō de successio-
ne fundi aut hæreditatis sed Ministerii, & Eccle-
sia non sit alligata personis aut locis: imo de gen-
te in gentem transferatur Matth. 21. vera succes-
sio est, successio in doctrina & ordine præscri-
pto ab Apostolis. Bonifacius, quem primum E-
piscopum Moguntinum faciunt, & Germaniæ
Euangelistam tempore Carolomanni patris Ca-
roli Magni, Lullum, cuius pietatem & fidem spe-
ctatam habebat, successorem sibi elegisse dici-
tur. Obiiciunt quidem Pontificii subinde illud
Tertulliani de præscriptionibus contra Hære-
ticos, *Edant origines suarum Ecclesiarum, euoluant or-
dinem suorum Episcoporum &c.* Verum ad illam ob-
iectionem nostri sæpe responderunt, primum
Apostolos id non vrgere: secundo Tertullianū
& patres non quamlibet successionem, sed in
primis eam, vt loquitur Tertullianus, quæ erat
in consanguinitate doctrinæ vrgere. Idem enim ait:
*Nobis nihil ex nostro arbitrio licet: Apostolos Dominus
habemus autores, etiamsi Angelus de cœlo aliter euan-
gelizauerit, anathema esto.*

Ritus porro Ecclesiarum reformatarum in ordinatione Ministrorum plerisque locis sunt tales: Deligitur primum ex toto cœtu cãdidatorum Theologiæ aliquis, qui & præceptoribus & Ecclesiæ, aut aliis exteris Ecclesiis suam pietatẽ, doctrinam & fidem probauerit. Accedunt deinde preces, & quidem multis in locis publicæ ac solennes: Deinde accedit accuratum vitæ & doctrinæ examen: exploratio etiam publica doni concionandi, nec negligitur plerisque in locis manuum impositio, vel porrectio dextræ societatis in cœtu presbyterii: præsentatio etiam ad populum per superintendentes vel alios Ministros, vt maxime in nonnullis Ecclesiis, præsertim iis, quæ sunt sub cruce accuratiores fiant explorationes quam in aliis: nec diffitemur in Ecclesiis Germanicis plerisque desiderari quidem meliorem formam, & deplorare quotidie pios Pastores & inspectores penuriam fidorum operariorum, & elaborare in eo presbyteria & bene constitutos senatus Ecclesiasticos, vt tum in synodis & visitationibus annuis, tum in conuentibus classicis Ministrorum defectus pro virili emendentur. De impositione autem manuum recte monet Calvinus in 6. Actorum, ritum esse ordini decoro congruentem, nec tamen per se habere aliquid virtutis aut efficaciam: quemadmodum etiam certum est, desisse nunc miraculosam illam certorum donorum spiritus S. collationem per impositionem manuum: & in decimum tertium Act. Ceremonia est (inquit) ex vetusto legis more ad exercendam pietatem,

vt

vt genu flexio. Reliquos supersticiosos ritus, tonsuram, vnctiones &c. ex quibus Pontificii Sacramentum conflarunt, merito omitimus. Nam vt barba Philosophum non faciebat, sic nec tonsura presbyterum. Et tamen illud modis omnibus probamus, quod ex concilio Carthaginensi quarto, cap. 8. refertur, *Clericos professionem suam & habitu & incessu probare debere.* idcirco vestitum decentem & grauem & conuersationem a vulgi prophanitate secretam ordinatis ad ministerium diligenter præscribimus: & eorum leuitatem valde improbamus, qui sunt vt fœmina compti, mensarum lautiorum asseclæ: & quorum vestitus a circumforaneorum vestitu non differt.

Obiectionum aliquot Petri Thyrci Iesuitæ Moguntini contra vocationem Evangelicorum Ministrorum, refutatio.

Dictum est hætenus hoc capite, de legitima Ministrorum vocatione, & simul expositum, si essentialia siue ipsos Canones Apostolicos spectes, retineri in Evangelicis Ecclesiis legitimam Ministrorum vocationem. Cæterum contradicunt Iesuitæ, quibus non rectum est, quod primum & Apostolicum, sed quod in Papatu receptum. Vocationem itaque Ministrorum Evangelicorum inter alios nostro tempore exagitauit Franciscus Turrianus, ex Societate Iesu egressus in societatem Papæ Romani, cū quo ter conflixit



vir clarissimus D. Sadeel, primum anno 77. in tractatu de Ecclesia & ordinationibus Ministrorum contra sophismata Turriani: secundo anno 80. ad repetita sophismata Turriani, & de legitima Pastorum Evangelicorum vocatione: Tertio ann. 83. tractatum expressum edidit de legitima vocatione Ministrorum Ecclesiarum reformatarum, non tam contra Turrianum, quam eos, qui se in hoc tantum capite ab Ecclesiis dissentire aiunt. Turriano quasi succenturiatus successit Petrus Thyraeus Theologus Moguntinus, sed merus rapsodus, & conuiciator scurrilis, cui anno 87. nostras de iure vocationis & missionis Ministrorum Evangelicorum, Theses, & paulo post eius verboso Examine Epistolam admonitoriam, & sequente anno Theses de Ecclesia opposuimus. Quia autem non dubitavit Thyraeus anno superiore sub titulo: *Causæ vocationis Ministrorum Evangelicorum per Disputationes aliquot Theologicas in Moguntina & Heidelbergensi Academia disputatas*, suas veteres Theses & suum Examen rursus obtrudere, & Episcopo Vormatiensi inscribere, ac si inuicta adhuc manerent ipsius argumenta: Age examinemus aliquot ex iis, in quibus maxime sibi triumphare videtur, ut ex hoc specimine, hominis futilitatem tanquam in speculo lectores recognoscant, unde simul facile intelligent, lusurum me fuisse & perditurum operam, si singula eius dicteria, quæ ad nauseam usque reponere solet, persequi voluissem. Notus enim est versiculus, *Contra verbosum noli contendere verbis*, &c. Quod ad calumnias attinet, quas

quas

quas contra sedem Apostolicam. & viros Ecclesiasticos in libri sui Præfatione, iactas a nobis conqueritur, iam supra dictum est, non esse nostras solum, sed multorum ante nos Doctorum & historicorum Pontificiorum querelas: nec tamen proprie de viris Ecclesiasticis, sed de illius Ordinis abusu & cleri Romanideprauatione. immunditiam, ait Thyreus, ne nominandam quidem. Atqui aio multo minus faciendam & perpetrandam, & immunditiam reprehendere licere prophetarum & Apostolorum exemplo, vide Rom. i. v. 24. & primo Corinth. 6. v. 9. Papa, inquit, a nemine iudicatur. Ergo nefas est de eius tyrannide conqueri. Verum quis illi concedet antecedens, cum ne Gratianus quidem, quem citat distinct. 40. id ita simpliciter dicat, sed addat, *Nisi a fide errauerit* Nonne Papa Iohannes a concilio Constantiensi, Eugenius a Basiliensi iudicatus fuit?

Superstitiones diximus a Gregorio primo non parum auctas. Id ille calumniam vocat, quod in Concilio Toletano Gregorius habitus fuerit propter vitam honorandus, & in Ethicis assertionibus pene omnibus anteferendus. Nos vero illam laudem ei non detraximus, & potest vir Ethicus & bene moratus, esse in multis superstitiosus, neque vnquam dissimularunt nostri dona, quæ in illo Gregorio agnoscuntur. Verum relicta Thyraei præfatione, quæ inani garulitate plena est, venio ad ea, quæ ad rem ipsam, id est, ad Ministrorum vocationem pertinent.

Prima Thyraei (quam sic vocat) Demonstratio hæc fuit: *Laicos non habere potestatem mittendi aut ordinandi: Ministros verbi Divini apud nos esse Laicos. Ergo potestatem mittendi non habere.*

Hunc syllogismum negavimus esse Demonstrativum, quia terminos habet partim ambiguos, partim falsos: & Thyraeus ipse varia colligit ad probandam utramque propositionem sui syllogismi, cum Demonstrationes debeant esse evidentes, & ex notis principiis extractæ. Hic Thyraeus clamat tantum, *Mendacia, Mendacia*: negat etiam ambiguitatem esse in vocibus: & voces ambiguas explicandas. Nos vero ut in omnibus legitimis disputationibus fieri decet, distinximus distinguenda, concessimus concedenda, explicavimus explicanda. Cōcessimus omni tempore ordinem aliquem fuisse Ecclesiasticorum, distinctum a seculari: Distinximus inter partes Magistratus in vocandis Ministris & partes Ecclesiasticorum siue Presbyterorum. Negavimus definitionem ipsius Laicorum & clericorum, dum vult: Laicos esse, qui non habent unctionem & tonsuram: clericos, qui a Papa aut Episcopis ordines habeant. Ostendimus enim primum ex scripturis, omnes Christianos vocari Regale sacerdotium. 1. Pet. 2. Nam & omnes Christiani sacrificia laudis Deo quotidie offerunt, & aditum habent per Fidem in Christum ad Dei sanctuarium. Totam Ecclesiam clerum siue hæreditatem Domini vocari probavimus ex cap. 5. epist. 1. D. Petr. v. 3. *Nescitis dominantes clericis*: probatum etiam ex veteribus Patribus, & ipsis Canonibus, clericos illos non esse

esse clericos, sed secularibus deteriores, imo sacrilegos, qui non legitime sunt vocati, qui non docent, & administrant suas functiones: qui eū de suo viuere possint, viuunt de iis, quæ sunt pauperum: quæst. 2. Can. clericos: & 2. part. Decreti, caus. 11. quæst. 3. & ex Cypriano de singularitate clericorum. Ostendimus deniq; sæpe idiotas a Deo excitatos fuisse, qui dono docendi præditi fuerint, & plus Ecclesiam ædificarint, quam multi clerici, quod non diffitetur Thyraeus: vnde sequitur, non semper saltem locum habere illam eius distinctionem inter Laicos & Clericos: Et sacrilegæ audaciæ fuit, eos, quos Laicos vocāt, priuare communionem vini in Cœna, contra exemplum Apostoli 1. Cor. 11. Cypriani testimoniū libr. de lapsis: & Ambrosij in historia de Theodosio. Sed bene se habet, quod in Examine nostrarum Thesium fateri cogitur, clericos appellari posse etiam eos, quos Laicos vocant, licet Ecclesiastici sic per antonomasiam vocentur, quod Dominus eorum fors esse debeat. Atqui hoc ipsum, an quæso de omnibus Ecclesiasticis Curia Romanæ dici potest, quorū *ὡς ἔπι τὸ πολὺ* fors est cum filiis huius seculi in terra, & terrenis Ducatibus & Principatibus: ita vt Theodoricus a Niem, Pontificius autor, qui pontificum, qui ante Concilium Constantiense vixerunt, historias conscripsit lib. 3. cap. 43. non sine sarcasmo his verbis scribat: Quam magnificentum sit imperium Romanum in Alemannia, ex eo apparet, quod ibi reperitur aliquis Episcopus, qui forte duplo plus habet in redditibus, quam per-

cipit Rex Roman. in omnib. terris sibi subiectis.

Ceterum quod statuit Thyraeus nostros ministros idcirco non inter Ecclesiasticos, sed inter Laicos censendos, quod ritu Catholico non sunt ordinati, dicimus meram esse petitionem principii. Quinam enim sint ritus Catholici Apostolici, & quæ præcipua requisita in Ministrorū Euāgelii ordinatione, supra & ex Epistolis Apostolicis, & ex veteribus Canonibus exposuimus. Et Catholicum quidē nobis non est, quod Romanum modernū: quia Catholica fides fuit, antequā Romana Ecclesia cōstituta esset, nec tā Romanor. fides hodie in toto mūdo prædicatur, ut tēpore Pauli; quā persecutio eorū qui sola in Christum fide se seruari & iustificari profitētur.

Atqui (inquit facetus pater Thyraeus) Ambrosio, Ieronimo Catholicum est quod Romanum: & vestri Bibliopolæ in Catalogo librorū Francofurtensium Pontificiorum libros vocant libros Catholicorum. Respondemus de Patrib. eos Romanam Ecclesiam vocare nonnunquā Catholicam, sed secundum quid, quatenus nimirum olim eam fidem amplectebatur, & defendebat, quæ ab omnib. Christianis teneri debet, & a qua multi in orientalibus præsertim Ecclesiis Arrianorum tempore deficiebant. Sic Imperatores Valentinianus & Theodosius, ut habetur in Codice Iustiniani, Catholicam Religionem definiunt, quam Diuinum Petrum Romanis tradidisse constat, & quam Pontificem Damasum sequi liqueat.

De Bibliopolis respondemus, nihil valere argumentum a Bibliopolis, qui suis chartis quod
lubet

lubet, illinere solent, ductum: & id fieri ab eis verisimile est, vt a multis aliis, iuxta hypothese[m] Pontificiorum, non iuxta rei veritatem, vel in lata significatione, quo sensu peccatum ipsum Catholicū, id est, vniuersale dici potest, quia ad omnes peruasit: & Apoca. 12. Sathanas vniuersum orbem seducere dicitur.

Sed valde familiare est Thyraeo illud sophisma, quod vulgo petitio principii nominatur. Nam rursus sic argutatur: Magistratus sunt Laici, Ergo potestatem mittendi Ministros nō habent. Nos vero iam ante monuimus, imo etiam euicimus, eos, quos pro meris Laicis habet Thyraeus, ad Dei clerum, siue hæreditatem pertinere, & Deum agnoscere suam sortem, vt David facit Psal. 16. v. 5. ac Magistratus in primis honorificentissimis ac plane diuinis titulis in scripturis insigniri, vocariq; tum COHENIM, tum Deos. Deinde respondimus P. Thyraeo non tamen Magistratibus simpliciter tribui ab Evangelicis ius mittendi Ministros: sed presbyteriis, qui Ecclesiam representant, & Ecclesiasticos viros habent, qui illas Electiones moderantur, accedente si non statim nonnullis in locis, saltem postea, approbatione & consensu Ecclesiae: Deniq; opposuimus ei cōstitutionem Hadriani P. ex Decreto Gratiani, qui ius eligendi Pontificem, & ordinandi sedem Romanam, & inuestituras Archiepiscopatum Caroli Regi concessit. Quid vero ad hæc Thyraeus in suo Examine? Attamen (inquit) Ecclesiasticum munus Deū habet immediate autorem, nō autem Politicū: quia ciues & populus creant Magistratus. O bellā exceptionē, quæ tot simul

continet. Nam ipsemet fateri cogitur, in Ministerio opus esse mediata ordinatione, quæ per clericum vel Episcopos fiat: Deinde nec ipsi Reges semper & ubique a ciuibus aut populo creantur: cū multi sint hæreditarii reges, siue subditis placeant, siue nō placeant. Instat autem P. Thyreus, & hoc telū in nos contorquet: Si non valet hæc nostra collectio (inquit) In Vetere lege præter profanos homines & seculares fuerūt Sacerdotes, fuit gens Leuitica, familia Aaronis rebus Ecclesiasticis tota cōsecrata: Ergo & in nouo Testamento præter Laicos debet esse clericus: neq; hæc Euangelicorum consecutio valere potest: Reges in vetere Testamento potestatem habuerunt mittendi & constituendi res Ecclesiasticas. Ergo & in nouo Testamento eandem habent potestatem.

Respondemus, male ratiocinari & concludere Thyreum, quia de rebus diuersissimis agitur in illis propositionibus. Munus enim Magistratum abrogatum esse nemo Christianus dicet: ordinem Leuiticum & successionem illam filiorum Aaron abrogatam esse constat: & facit iniuriam Thyreus populo Christiano, dum eum subinde Horatianis verbis profanum vulgus appellat.

De Hadriani vero constitutione, cuius paulo ante mentio facta est, nihil habet, quod adferat, præter Gratiani Antilogias. Alibi in Gratiano scribi ait: Ne Electioni Episcoporum intersit Imperator: Item Sacerdotum esse Electionem. Alibi sic locum a nobis adductum eludit Thyreus: Carolo

Carolo concessum ius eligendi Pontificem, & ordinandi sedem, non consecrandi. Sed quid hoc ad rhombum? Nam cum consecratio nihil sit nisi ritus, accedens ad ordinationem, concessio principali, quid moramur ritum? præsertim cum electio, ordinatio, investitura præsupponant electum & ordinatum esse consecrandum: & qui ordinem & leges præscribit sedi, id ipsum præscribere possit, ut consecretur.

Falsum est autem quod affirmat, nobis idem esse Populum & Sacerdotem: aut saltem non est simpliciter verum. Nobis idem sunt, quatenus ambo ad hæreditatem Dei pertinent, & eandem spem habent vitæ æternæ in Christo, cuius sunt membra: non sunt idem, quantum ad functionem, dignitatem, priuilegia.

Quærit P. Thyraeus, an putem Apostolos in ordinandis iis, quos degentes inter Barbaras gentes, vel ad eas commigrantes laborum socios assumerunt, semper expectasse consensum plebis? Respondeo, non valere consequentiam a vocatione extraordinaria Apostolorum, & a temporibus extraordinariis ad ordinariam Ecclesiæ politiam: & tamen Apostolos ipsos suos habuisse seniores, quos in rebus grauioribus adhibebant: sicut in concilio Hierosolym. factum est. Act. 15.

Ad nostram porro obiectionem contra hæc primam Thyraei Demonstrationem, *Ministros Evangelicos esse Laicos: Laicos non posse mittere: Si Thyraei collectio valeat, ei probandum esse: Omnes, qui laici non sunt, ius missionis habere: re.*

spondet se fateri, Non omnes clericos ius mittendi habere, sed solos Clericos: & illam instantiam ridet tanquam ἀσυνλόγητον. Verum ridere non est solvere argumentum: Et si vera est illa propositio: Quicumque sunt Laici, eo quod Laici sunt, id est, interprete Thyraeo, quod non sunt Clerici, non habent ius mittendi, oportebit & hanc veram agnoscere: Quicumque clerici sunt, ius habent mittendi: alias non consisteret illa ratio, ideo non posse mittere Ministros, quod sint Laici: & concideret Demonstratio Thyraei, & illa Maior, *Non habent potestatem mittendi Laici*: quia iuxta Thyraeum nec omnes Clerici potestatem habent. Discat itaque prius Thyraeus artem Demonstrandi, & argumentandi, quam alios reprehendat aut erudiat. Sed venio ad alia grauiora, nempe ad quasdam Hæreseologias, quas magnus hic Inquisitor prauitatis Hæreticæ in defensione suæ primæ demonstrationis cumulat, & nobis obicit.

Inter HÆRESEOLOGIAS numerat quod negamus, *Theologicas esse demonstrationes, quæ scripturarum evidentibus testimoniis destituantur*. Quid vero hac censure iniquius, quid alienius, quam pronuntiare id esse Hæreticorum proprium? Interim tamē dicimus & profitemur, duplicem esse in scripturis euidenciam, alteram ex verbis expressis, alteram ex æquipollentibus, quod cōtra Arrianos, Anabaptistas & alios semper ostendit Ecclesia. Sic de virginitate Mariæ luculenta nos

in

in scriptura testimonia habere dixi: Illam ante vel post partum cognita esse a viro nusquam in scripturis dici: ideo priorem sententiam scripturæ testimonia habentem merito amplecti Ecclesiam. Quid hic igitur habet Thyraeus, quod arrodat? qui plane mutus est ad dictum illud D. Basilii, quod in Epistola nostra Admonitoria coronidis loco ei subieci, *si nimirum ad probandam doctrinam consuetudo valeat, licere nobis etiam hereticos imitari: sed standum arbitrari scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis veritatis ad iudicandam sententiam.* Scripturas igitur quidem prætendunt hæretici, sed, ut præclare monet Hilarius, sine fide & sensu: Scripturæ enim, inquit, non in legendo sed in intelligendo, neque in præuaricatione, sed in charitate sunt: Et scripturam vocant Hæretici vocabula quædam & syllabas, quas Arriani olim captabāt: ut idem Hilarius contra Cōstantium his verbis commemorat: *Utitur nunc Diabolus artis suæ consuetudine, ut per recti speciem praua confirmet, Nolo, inquit, verba, quæ non scripta sunt, dici. Atqui non omnes nouitates vocum, sed prophanas & a scriptura abhorrentes deuitari iubet Apostolus.* & ut scribit Irenæus libro secundo contra Hæreses: *Quemadmodum qui animal aliquod capere volūt, assuetas escas præmittunt, ut illiciant sensim blandientes per assueta pabula: Sic Hæretici quædam ex scripturis proponunt, nunquam autem totam Fidem aut consensum scripturæ retinent: ideo nō est difficile ex integris eos scripturis reuincere, etiamsi veritati obstrepant.*

2 HÆRESIN ait sapere Thyraeus hanc positionem, *Diuina autoritate mitti, qui ex consensu piorum magistratum & presbyterorum mittuntur.* Primum quod videatur innuere non nisi pios mittere posse, ideo redolere videatur Anabaptismum. Quasi vero Christiani Magistratus aliquo epitheto distinguendi non sint ab infidelibus vel a tyrannis, qui Baalitas aut Pseudoprophetas obtrudere possent. Altera eius ratio est, quod illa positio velit sola Magistratus civilis autoritate ordinationes perfici. Sed vnde quæse id colligit Thyraeus, cum in illa positione presbyterorum expressa fiat mentio, & postea Thesi nostra 22. asseramus, Electionem & missionem Ministrorum in solius Magistratus potestate non esse: Recte tamen & veteris Ecclesiæ exemplo accedere auctoritatem piorum Magistratum, quam Apostoli quidem habere non potuerunt, quia Magistratus tunc erant impii & infideles.

3 HÆRESEOLOGIAM vocat hanc assertionem, *Episcopos & praelatos rebus secularibus & voluptatibus carnalibus totos sese immergentes non esse vere Episcopos, nec videt medium probationis & maiorem nostri syllogismi Thesi. 19. esse ex D. Paulo. 2. Timoth. 2. desumptam: Nullus, inquit, legitime certans, & per consequens vere Episcopus, se implicat rebus huius seculi.* Et Christus ipse Ioh. 10. pronuntiat, Mercenarios non esse pastores: & D. Petrus 2. Pet. 2. tales voluptuosos fontibus aqua carentibus comparat. Item in Decret. caus. 2. quæst. 7. Qui susceptum officium non administrat, non est Episcopus, sed canis impudicus. Hæc scilicet
ideo

ideo hæretica sunt, quia seruus Dei Iohannes Vicles circa annum 1373. talia docuit, & sufficit Thyraeo talis Demonstratio, etsi Bernhardus lib. 2. ad Eugenium his non dissimilia palam protulit.

Atqui, inquit Thyraeus, aliud est officium habere, aliud exercere, vt Reges multi sunt, etiam qui regni curam deponunt: quid ergo vetet, cur non & tales sint Episcopi? Respondemus, reges illos esse, non vere, sed titulo tenus. 2. iuxta canones ipsos Pontificios re ipsa excidere dignitate Ecclesiastica, qui functiones suas non administrant. 3. dicimus eos non esse vere Episcopos, qui toti immergi sunt voluptatibus & rebus seculi, siquidem hoc non est habere officium, sed haberi a Sathana. Gregorius ipse lib. 8. epist. ex Registro cap. 11. loquens de quodam Basilio in causis saltem forensibus occupato, ait, *eum vilem reddi, & reuerentiam Sacerdotalem annihilare.*

4 Calumnia manifesta est, quod nos in ea HÆRESI esse fingat, ac si mulieres in casu necessitatis ministros mittere & ordinare possint: nec cogitat Thyraeus illam calumniam Thesi nostra 21. palam refutari, & id Pontificiis potius iure obiici, qui putant in casu, vt vocant, necessitatis mulieres posse baptizare. Inspiciat igitur lector Thesin nostram 22. ex qua cognoscet, nos mulieribus nullam potestatem Pastorum siue Ministrorum Ecclesiæ relinquere.

5. HÆRESIN vocat, quod dicimus, *Abusum esse credere, dona aliqua Spiritus sancti hoc ten-*

pore per impositionem manuum conferri. Olim quidem ad manuum impositionem, quæ tanquam symbolum visibile accedebat, certa dona conferbantur: sed non ex vi manuum vel per manus, aut per & propter impositionem. Ideo nihil pro Thyreo facit, quod ex Ambrosio adfert, *Deus largitur gratiam, homo imponit manum*: quia locus ille largitionem potius gratia soli Deo, signi administrationem homini tribuit. Certum quoque & evidens est, gratias illas visibiles hisce temporibus ad manuum impositionem non conferri, nec sanari aegros adhibita manuum impositione, vt olim talis cæremonia sanationis signum fuit, Marci lxxv. Nec tamen Pontificii ritus impositionis manuum contenti sunt, sed & vñctiones & multas alias cæremonas adhibent, quas Apostoli in ordinandis ministris aut Pastoribus nunquam adhibuerunt. Quid vero sophista noster Thyreus? Sic ille sibi semper similis, & nostra detorquens instat: Si abusus est conceptis & præscriptis verbis vim aliquam tribuere: Ergo nec in Sacramentis verbū ad Elementum accedere, certa q; verba in Sacramentorum administratione vsurpare opus esset. Respondeo. Opus est, sed non demurmuratis ad elemēta, aut truncatis, aut cū hac opinione, vim aliquā secretam in ipsis vocib. vel in earum pronūtiatione subesse. Verbis igitur opus est sed integris, intellectis & creditis, tota nimirum Christi ordinatione, nec otiose sed magno cū fructu verba illa recitantur: nō tamē propter voces aut sonos, nostramve pronunciationem, sed propter

pter diuinā operationē, quæ in ministerio est effi-
cax, & sunt verba vtilia, nō quatenus dicuntur, sed
quatenus creduntur, viloquitur Augustinus.

Sexta obiectio.

6 Chrisma contemnentēs sunt Donatista-
rū & Nouatianorū socii: Euāgelici contemnūt.
Ergo sunt HÆRETICI O magnum Hæreseologi-
arū architectum? Quasi vero propter oleum vel
chrismā inter Hæreticos relati fuerint Nouatus
& Donatus. Vbi id vel apud Cyprianū, vel apud
Augustinum in libro de Hæresibus? Nonne No-
uato succensuisse scribit Ecclesiam Euseb. lib. 7.
cap. 7. ex narratione Dionysii cuiusdam, quod Ec-
clesiam scinderet: Sacrum lauacrū reprobarēt:
Fidem & confessionem, quæ ante Baptismū fie-
bat, subuerteret: ac deniq; Pœnitentię interfecto-
r esset, vt eū Cyprianus cognominat? Sed nonne
in ipsis Decret. Tit. de sancta Vnctione, Rescri-
ptum Innocentii cuiusdam ad Patriarcham Cō-
stātinop. recitatur, vbi Episcopi cuiusdā Bracha-
rensis fit mentio, qui vnctus non erat, quod non
esset ea in illis locis cōsuetudo? Deinde an quæso
violatio superstitionum traditionum humana-
rum Hæreticum facit? Nam quid supersticiosius
duplici illo oleo, de quo in illa Decret. oleo Ca-
techumenorum & ægrotantium: & Chrismate
illo, quod oleo & balsamo supposititio cōstat, cu-
ius ad Episcopos vngendos fit vus? Quid super-
stitiosius, quā oleū illud, oleū salutis appellare, vt
fit de conf. dist. 4. vt iā nihil dicā de ridiculis cere-
moniis, quib. in illius olei cōsecratione vtuntur.
Lōge equidē lōge satius esset, illos de illo oleo a



Domino Deo impetrando sollicitos esse, de quo
1. Iohan. cap. 2. *At vos unctionem habetis a sancto illo
profectam.*

Sed de inani ac plane ridicula defensione pri-
mæ Demonstrationis Thyraei satis est dictum:
iam etiam dabimus specimen ipsius acuminis &
verecundiæ circa secundam Demonstrationem:
quæ talis fuit:

*Nullo iure possunt mittere Heretici. Ministri Eu-
angelici sunt heretici, Ergo mittere non possunt.*

Mittat autem ipse & omittat perpetuas pe-
titiones principii, quas Demonstrationes ei vo-
care lubet: dum illam præclaram Regulam non
obseruat, quam Theodoretus statim in vestibulo
primi sui Dialogi per Orthodoxum proponit:
*Non conuenit iam anticipata opinioni seruire, sed verã
cognitionem inquirere.* Quid autem præter antici-
patas opiniones hic profert Thyraeus? Ablegat
nos compendii causa, ad quãdam suam dispu-
tationem de Fide: de qua Monachorum pleri-
que ita caste & verecunde disputant, vt de vera
virginitate. Sed in his suis demonstrationibus
plane perfricuit frontem, nec secus agit, ac si cū
fungis illi res esset, qui ad eius pronunciata ob-
mutescerent. Nam ecce bellas Patris Thyraei de-
monstrationes, siue bruta potius fulmina con-
tra Euangelicos, in illa de fide disputatione:

*Vera fides certo fundamento nititur: Protestanti-
um non nititur certo fundamento, sed Catholicorum, id
est, Romani Cleri.*

Ergo Euangelici non habent veram fidem.

*Item: Illa sola est vera fides & Christiana, quæ fuit
tempo-*

temporibus Apostolorum : Protestantium non fuit temporibus Apostolorum. Ergo.

Item: Veram fidem oportet continuata successione a temporibus Apostolorum in Ecclesia viguisse. Protestantium non viguit continua successione. Ergo.

Item: Non potest esse vera fides, cuius fructus sunt mali. Doctrina Protestantium, fructus sunt mali. Ergo.

Item: Apud eos, qui Christianes non sunt, nec esse volunt, Fides inueniri non potest. Protestantes Christianes nec sunt, nec esse volunt, Ergo.

Item: Veram Fidem sibi constare oportet: Protestantium Fides sibi non constat, sed mutatur de die in diem: Ergo non est vera Fides.

Has ampullas, hæc sesquipedalia verba proijcit P. Thyraeus: quæ omnia quia vna negatione assumptionis, quam ille in æternum non probabit, refutantur: ideo illas eius Demonstrationes præcipuas in vnum colligere volui.

Si quærit lector: quomodo autem illas suas propositiones confirmet, Respondeo: *Negando solem*: Negat enim pro nobis facere scripturarum autoritatem: præcedentium temporum confessionem: negat inter nos inueniri inculpata vitam. Sed, Deus bone, quam hic trepidat! quam parum in his figit pedem! Nam statim a scripturis, & a fide defiliens, in illa ipsa Disputatione scribit: *Non sufficere ad salutem, tenere Fundamentum fidei*: deceptus falsa hac hypothese: veram fidem ad omnia dogmata se extendere: præterea Thesi II. posterioris partis suæ Disputationis ait, *non tam scripturis quam traditionibus, consensuq; ma-*

iorum Fidem asserendam. Ridiculum est autem in-
 primis, quod vitam inculpatam in Euangelicis
 desiderant Pontificii, qui haecenus quasi hac
 nota ab Euangelicis discerni voluerunt, quod i-
 psis omnia flagitia libera essent, modo non crede-
 rent Euangelio, & a Pontificum placitis non dis-
 cederent. Speculum scilicet egregium inculpa-
 tae vitae in vitis Pontificum, qui praesertim po-
 stremis his sexcentis annis vixerunt, nobis pro-
 ponunt historiae: Sed pudeat Thyraeum loco
 Historicorum proferre quaedam ex nescio quo
 Surio, & Boleco de vita Caluini, hominibus par-
 tim palam infamibus, partim ad maledicendum
 conductis, & meminerit potius illius Augustini
 ex epistola 137. ad Hipponenses: *Heretici cum i-*
psam diuinam scripturam veritatem criminari, & obscura-
re non possunt, homines, per quos predicatur, in odium
adducunt, de quibus & fingere quidquid in mentem ve-
nerit, possunt. Si vero serio Thesi 30. loquitur, cum
 asseuerat, solam illam veram Fidem fuisse, quae
 fuit tempore Apostolorum; cur nos ideo cum
 suis sodalibus, qui ex Societate Iesu egressi sunt,
 hoc nomine Haereseos accusat, quod alia do-
 gmata amplecti nolimus, quam ea, quae Aposto-
 licis scriptis continentur? Cur doctrinam non
 ad normam Apostolicorum scriptorum, sed ad
 nescio quem consensum seculorum & concili-
 orum, quae diuersa saepe & pugnancia fuerunt,
 exigere vult? Nonne consensum aliquot seculo-
 rum Pharisaei praetendere potuerunt: & Graeci
 atque Turcae praetendere hodie possunt? Cae-
 rum impudentiam suam plus quam Monasticam
 in eo

in eo prodit Thyraeus, quod fidem Evangelicorum idcirco Apostolicam esse negat, quod Apostoli vxoribus, si quas duxerant, relictis vitam Angelicam sectati sint: Item, quod Apostolicis temporibus magna Monachorum multitudo fuerit: Item, quod Missa (cuius tamē & nomen & actio Apostolicis temporibus ignota fuit) apud Evangelicos exulet. Pudet me & tæder tam putidas, tam manifestas nugas, quibus Thyraei scripta referta sunt, proferre: & tamen non fuerunt plane prætereunda pulchra hæc eius argumenta, vt pius & æquus lector saltem intelligat, nos iustissimis de causis huiusmodi blaterones in posterum, vix responso aliquo dignaturos. Quod ad successionem Fidei attinet, *veram Fidem oportere ab Apostolorum temporibus continua successione viguisse*, si diceret Thyraeus, veram fidem aliquam in Terris semper superesse, & aliquam Ecclesiã; recte id, & nobis assentientibus diceret. De perpetua autem successione & quidem locali nihil promittit scriptura, sed cõtrariũ prædicat: Prædicat enim summam ἀποστασίαν, & cõtrariũ cõprobavit euentus, cū & hæreses & schismata fuerint in sede Romana. Platina certe vir Roman. & Romanæ Põtificiæ superstitioni deditº in vita Benedicti IV. sic scribit: *Verũ est, quod Philosophus ait: quæ orta sunt, occidunt: Idẽ accidit Pontificali dignitati. Lasceuire cœperũt Pontifices nullo principe coercete flagitia: Vnde hæc mōstra, hæc portenta nata, nisi ab iis, a quib. ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius quam possessa, &c* Et iã Valentiniani Imp. tempore Am. Marcellinus historicus Christianis

nunquam iniquus grauius conqueritur, quod Pontifices essent ad rapiendam sedem Episcopalem ardentibus, nec ad imitationem piorum antistitum uiuerent. Meris itaque Acilogiis, & principii petitionibus (vt saepe dictum est) loco demonstrationum utitur Thyraeus: vt est & illud: *Pontificem persequi Hæreticos non sanctos*: Eadem etiam subinde repetit nominatim suas blasphemias & sua commenta contra coniugium Ministrorum: D. Paulo, esse sine solitudine idem esse, ac esse sine vxore: Item, scripturas (quas tamen Apostolus Ephes. 6. gladium Spiritus vocat) non esse sufficientes ad conuincendos Hæreticos: Calvinum & Lutherum Deum facere autorem peccati: quod dogma illos toto pectore abominatos omnibus, qui eorum scripta legerunt, constat. Denique quod Thyraeo familiare est, quando ad argumentum aliquod respondendum est, id eludere solet: vt dictum Cypriani: vel quod eodem redit apud Cyprianum, Presbyterorum & Diaconorum Romanorum, Epist. 7. lib. 2. ex quo nihil sequi ait: Sic autem illi: Antiqua fides nostra, antiqua disciplina: quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset, dicendo: Quia fides uestra prædicatur in toto mundo: nisi iam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, *quarum laudum & gloria degenerem esse maximum crimen est. Minus est enim dedecoris nunquam ad preconium laudis accessisse, quã de fastigio laudis ruisse*. Ex quo loco duo hæc euidentissime conficiuntur. i. Laudem Ecclesiæ Romanæ in eo sitam, vt fidem retineat, quæ tempore D. Pauli

D. Pauli prædicabatur. 2. Degeneres fieri posse Romanos, & tum degeneres fore, non autem amplius appellari posse veterem Ecclesiam Romanam, Apostolicam, (qualemunque successionem prætendant) si a vetere fide, & disciplina desciscant.

Sed pergo ad alia: & hic omnes Pontificios appello iudices, an non Thyraeus palam desipiat, qui censura 28. Examini: inter HÆRESSES numerat, quod in nostris Thesis scribimus: NOS IN CONTROVERSIIS RELIGIONIS a Lutero & priuatorum censuris & iudiciis ad Ecclesiæ Catholicæ & Synodi iudicium prouocare. Cur vero id sit Hæreticum, cum ne Apostolus quidem vllus sibi soli sumserit decisionem controuersiæ de Iustificatione & Ceremoniis legis: sed res ad concilium Ierosolymitanum deuoluta fuerit Actor. 15. An igitur, inquit Thyraeus, synodo subiicietur D. Petrus & Pontifex Romanus? Quid nisi quid sit, quod ipsos spectet? Nonne Petrus a Paulo reprehensus fuit, qui Paulus minus erat, quam Synodus omnium Apostolorum & Euangelistarum, qui tunc supererant? Nonne in Constantiensi Concilio Papa Iohannes xxii. in Basiliensi Eugenius iudicati fuerunt, ibique Decretum tanquam fidei Articulum tenendum, Concilium esse supra Papam, & qui ei contradicat, pro Hæretico habendum: Nonne Iohannes Gerson olim Sorbonicæ Theologiæ doctor, constanter docuit, & Ecclesia Gallicana semper credidit, Papam affectare tyrannidem, si velit esse supra concilium? Qua fronte igitur

Thyræus asserit, illum esse supra omnia concilia, nec ulli concilio subiectum?

Sed rursus Thyraeum coram omnibus sanioris mentis Pontificiis cito, eosque iudicare volo, an Thesi octogesima tertia sui Examinis HÆRESIN recte vocet quod sentimus Christum in cælo sedentem ad dextram Dei Patris, non in pane terreno latentem, debere coli. Hactenus enim credidi, Pontificios cum Lanfranco & Gitmundo impanationem corporis Christi oppugnare & negare, & per consequens corpus in pane latens, & transubstantiationem potius, siue panem transubstantiatum realiter esse corpus Christi credere. Videant igitur Theologi Moguntini, & imprimis Bulaeus, ne Thyraeus tandem ad Ubiquitariorum aut Lutheranorum sententiam de Cœna deflectat. Est & hoc parum Catholicum, quod Thyraeus Thesi sexagesima hanc propositionem improbat, *Oecumenicas Synodos gladio Scripturæ iugulasse hereses, & Arrium aut ex doctrina non scripta damnatum*, teste Theodoro libro primo capite septimo. Atqui Theodoretus ibi mentionem facit dogmatum Apostolicorum, & expositum Arrio commemorat locum illum Proverb. octavo, quo maxime nitebatur, *Ab initio viarum suarum condidit me*. Licet enim Hæreticis consiliorum determinationes, aut alia scripta humana nonnunquam opponuntur, sit id tamen κατὰ τὴν, quatenus videlicet constat, illa ex manifesto Dei verbo desumpta. Scriptura diuina (inquit Chryso-

stomus

Tomus Homil. trigesima in Genesim) arma quotidiana piis suppeditat &c. Hæreticorum est (inquit Irenæus libro primo) plus velle sapere quam Prophetæ, quam Christus, quam Apostoli, & alia quæ illi non docuerunt docere, & de iis, quæ scripta non sunt gloriari, atque ita fune ex arena neçtere. &c. Verum quid Thyraeum pudeat, qui Thesi 65. negare audet Augustinum liberum Arbitrium contra Pelagianos refutasse, & locis quibusdam abutitur per fallaciam Homonymias, quia liberum Arbitrium non nunquam vocat Augustinus non coactum, quale & nos concedimus. Item liberum Arbitrium in renatis agnoscit, sed quatenus est liberatum, non autem eo sensu, quo Pontificii, & recentiores Scholastici, quorum sententiam refert Vignerius in Institutionibus, qui negat hominem in statu ipso corruptæ naturæ Dei auxilio egere nisi in iis, quæ ardua sunt.

Augustinus certe in Enchiridio ad Laurentium, quod iam senex & exercitatus Theologus conscripsit capite trigesimo sic ait: *Homo libero arbitrio male utens sese perdidit & ipsum: Item capite trigesimo secundo: Iam ne quisquam nec de operibus, nec de ipso gloriatur arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur premium bene operandi ipsa libertas: Audiatur gratiæ præconem dicentem Philipp. secundo, Deus est, qui in nobis operatur, velle & operari.* Similia vide in libro de Gratia & libero Arbitrio, & Epistola. 107. ad Bonifacium: Sed in primis luculentam sententiæ

D. Augustini de libero arbitrio explicationem vide in Disputationibus Bucerii contra Maluendam: & in opusculis Caluini in defensione sanæ & orthodoxæ doctrinæ de seruitute & libertate humani arbitrii aduersus calumnias Alberti Piggij.

At præstat mittere tot ineptias, & calumnias, quibus examen Thyæanum redundat, vt quod inter alia Thesi 81. sine fronte affirmat, me de Luthero scripsisse, *eum nihil temere vnquam dixisse: cum Thesis mea 96. habeat, eum nihil temere contra Papam tentasse:* transeo itaque ad tertiam demonstrationem, vel potius hypothesin Thyæi, quæ talis fuit:

Nullus potest legitime in Christi Ecclesia mittere, nisi qui vel cum potestate missus sit, vel plenam, & absolutam habeat potestatem.

Ministri nec collatam nec absolutam habent potestatem.

Ergo mittere non possunt.

Nos vero rursus Assumptionem negamus: supra enim ostendimus nostros non currere nisi vocatos, & eos ipsos, qui primi patrum nostrorum temporibus Ecclesiarum instauratores fuerunt, tum in Papatu olim, tum ab Ecclesiis aliquã vocationem habuisse. Denique delitias sibi facit & inanibus commentis suos pascit, quãdo Thesi 179. & 180. affirmare non veretur, a nullo mitti ministros Euãgelicos. Item eos populo Christiano omnem potestatem eripere. Itẽ pag. 200. nullam doctrinæ suæ rationem reddere: cum contra Euangelici, in omnibus imperii comitiis doctri-

doctrinæ suæ rationem reddere parati fuerint, ac Pontificii potius colloquia vel detrectarint vel statim abruperint, quemadmodum Ratisbonæ in Germania & Possiaci in Gallia factum est: & luculenter nostrorum temporum historiæ testantur.

Thesi porro 160. cum larvis luctatur, multis verbis ostendens Deum hominum ministerio uti admittendos ministros. Nam ipsemet Thesi 174. fatetur nostros scribere, neminem sine publica vocatione munus in Ecclesia usurpare debere, nimirum, quando ordo viget, & Ecclesiæ constitutæ sunt. Verum ille duplex falsi crimen committit, primum quod Thesi 179. affirmat, nos nullum missionis nostræ autorem proferre posse, nec populum Christianum, nec seculares principes, nec Ecclesiasticum Magistratum. Cōtrarium satis supra a nobis demonstratum est, & magnam ab illo nobis iniuriam fieri norūt quicumque Ecclesiarum nostratum ordinem vel obiter inspexerunt. Rursus itaque 182. Thesi calumniatur, scribens nos aliunde intrare, ut fures & latrones. Quare id autem? quia nimirum a furibus & latronibus, a Simoniacis & voluptuosis hominibus totisque deditis rebus huius seculi, quales plerique sunt eorum Archiepiscopi & Episcopi, vocationem non habemus. Quinam illi sint, qui per ostium non ingrediuntur, præclare docet Augustinus in 10. Iohannis, *Non intrat, inquit, per ostium, qui predicat Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit. Qui vult intrare ad ouile per ostium intret, Christum verum predicet,*

Christi gloriam querat, non suam. Qui se non humiliat, sed extollit (vt Papa) per maceriam vult ascendere, & fur est, qui suas dicit, cves alienas.

Cæterum audiamus lepidam Thyraei nostri instantiam Thesi 198. Errant, inquit, quod idcirco te diuinitus missos dicunt, quia veram doctrinam profitentur: An ergo omnes veram doctrinam profitentes missi sunt? Id si ita se habet, quid vetat quo minus missi sint Pistores, Sartores, Tonfores, & quicumque veram doctrinam profitentur? O magnam Theologi Moguntini subtilitatem! Quid si vero pueri Pædagogici geminam illi in hac obiectione fallaciam monstrant, primum diuisionis: neque enim sine aliqua vocatione ministros suggestum conscendere volumus. Deinde *ὁμωυμίας*, quia aliter auditores & Christiani in genere, aliter Ministri & Doctores religionis Christianæ dogmata euoluunt & profitentur, nec vllus nostrum Pastorem & Doctorem a professione Doctrinæ, sed a prædicatione & sincera enarratione verbi diuini & Sacramentorum administratione definiuit.

Atqui in eo decipiuntur Euangelici, (inquit Thyraeus, Thesi 199.) quod ex doctrina legitimam & ordinariam missionem probent, non contra ex missione veram doctrinam. Quid si autem decipiatur Thyraeus, & quidem iudicio Tertulliani lib. de Præscriptionibus, vbi docet. *Fidem non ex personis probari, sed ex fide personas.* Nonne missus erat legitime Iudas, qui tamen proditor fuit? Nonne Nicolaus, qui autor fuit
sectæ

sectæ Nicolaitarum? & denuo errat Thyraeus, quod nonnullis locis Patrum, ut inter alia dicto Augustini contra Epistolam Manichæorum, (quæ Fundamenti vocabant) de Sacerdotum successione abutitur. Illo enim argumento a successione Episcoporum ducto nec semper, nec simpliciter utuntur Patres, ac interdum quidem contra Manichæos aut alios, qui scripturis non multum tribuebant, atque etiam hoc præsupponentes, illos Episcopos sibi inuicem succedentes, successores esse doctrinæ Apostolicæ. Nam ex puritate doctrinæ Ecclesiam dignoscendam constanter docuerunt patres, nominatim Augustinus in Dialogo Ecclesiæ & Synagogiæ cap. 3. Et contra Petiliani Epistolam cap. 2. Nonne Pharisæi & Leuitæ ab ipsis Aaronis temporibus successionem habebant? Nonne & Græci hodie, quos pro schismaticis habent, eandem prætendunt? Neq; est Tautologia, ut Thyraeus putat, quando dicimus Ecclesiam errare non posse, quæ manet supra fundamento Prophetarum & Apostolorum, quod idem esse ait, si quis dicat, Ecclesiam errare non posse, quæ errare non possit. Sed quis non videt, nos necessario veram Ecclesiam a falsa discernere, & causam indicare, cur vera Ecclesia errare non possit: ut nec Christus tautologia usus est, quando Matth. 16. ostendit, portas inferorū prævalere non posse contra Ecclesiā, quæ supra petram fundata est. Sed venio ad ea, quæ Thyraeum magis mordent. Sedis Romanæ Simonias, flagitia, profanitatem vix negare audet, & hic valde perplexus est. Interdum ait, vitis

personalibus non tolli dignitatem sedis Romanæ. Quid si vero quæramus, remotis personis, quænam sit illa sedes Romana? Deinde, hoc concessio, personas Pontificum errare: quomodo consistant assertiones illæ Thyraei de personali successione, nisi quemlibet prophanum & impurum, qui Romæ sit, & quouis modo redimat sedem, successorem sedis esse opinatur? Item quomodo consistit, quod asserit Thyraeus Papam errare non posse? In has angustias redactus Thyraeus dubitat an Diabolus aliquando sedem Romanam inuaserit? Nolo autem eum ad nostros autores ablegare, sed malo legere, quid Platina de Gregorio V. scribat, quem affirmat Diabolica dominandi cupiditate & largitionibus a Diabolo adiutum ad illam dignitatem peruenisse. Non dissimilia aut etiam grauiora de Hildebrando, alias Gregorio VII. scribit Abbas Urspergensis. De Iohanne VIII. fœmina ante Gilberta vocata, quid quid Onuphrius & Auëtinus ad tegendam Pontificum turpitudinem excusent, tot locupletia extant Pontificiorum autorum testimonia, ut impudentiæ & audaciæ profligatæ sit, in tanta testium luce hominibus tenebras offundere velle. Id quippe præter Platinam scriptum reliquerunt Marrianus Scotus, Monachus Fuldensis an. 1086. sepultus Moguntia: Martinus Polonus, Pœnitentiarius Pontificis, Episcopus Cosentinus, Ioannes Bocatius, Franciscus Petrarca, Antonius Sabellicus, Iohannes Stella Venetus, Iacobus Philippus Bergomensis ordinis Eremitarum, Antonius Episcopus.

pus Florentinus, Fasciculus temporum, Volateranus, Laonicus Calchondyla lib. 6. Historiæ Turcicæ pag. 410. editionis Latinæ, ubi & Pappifæ & sedilis & acclamationis in Electione noui Pontificis, Mas nobis Dominus est, mentio fit.

Cæterum quærit cum magno supercilio, Thyraeus pag. 156. & 157. quando defecerit Romana Ecclesia? an D. Pauli tempore, cum fides eius in toto mundo prædicaretur, an Athanasii & aliorum piorum Episcoporum qui grassante Arrianorum furore, perfugium & hospitium Romæ habuerunt? An Leonis primi Episcopi Romani tempore, cuius iudicium in controuersia Eutychetis Chalcedonensis Synodus sequuta est? An vero Gregorii primi tempore, quem virum sanctissimum fuisse nonnulli ex nostris Theologis palam scribant? An vero postea, quod fieri non possit, cum nihil hodie, inquit Thyraeus, in Ecclesia Romana tradatur, quod ex Gregorii primi scriptis demonstrari non possit. Etsi vero ad hanc quæstionem sæpe a nostris responsum fuit: quia tamen in ea tantopere deliciantur, & sibi regnare videntur Iesuitæ, respondebo ordine, aperte & candide, huiusque quæstionis Thyreanæ tum vanitatem tum falsas Hypotheses demonstrabo. De Romana igitur Ecclesia sic Evangelici semper & senserunt & scripserunt, laudari quidem illam & magnificari, quamdiu ab illa Fide, quæ in toto mūdo D. Pauli tempore celebrabatur, & cuius Epitomen in Epistola ad Romanos habem⁹, (qualis fides in ipsis quoque Thessalonicensib,

non minus prædicaturi. Theſ. i. v. 8.) non degeneravit. Quo plus autem ab ea Fide, & doctrina recessit, eo magis culpâda & auersanda fuit. Ac duo quidem in Papatu maxime detestâ tur, quicunque Apostolicam Fidem incorruptam retinent: Dominatum illum tyrannicum & secularem, in quo non tam certe Petri, quam Neronis successores sunt Pontifices Romani: & Idololatriam, ac doctrinæ FID EI deprauationem. Etsi vero Sathanas mature utrumque molitus & orsus est, & Eusebio teste lib. 3. H. st. Eccles. cap 28. *Ecclesia post Apostolorum tempora non diu virgo mansit* non tamen statim propter aliquos næuos aut defectus, Ecclesiæ Dei nomen amisit, aut, ex ea tanquam ex Babylone, recedendum fuit: donec (inquam) palam idololatriæ stabilitæ, & Ecclesiæ gubernatio in tyrannicum imperium transformata fuit. In Victore quidem Episcopo Romano, omnes a se dissentientes audacter & pro suo arbitrio excommunicante, iam nescio quæ sequentis tyrannidis præludia apparebant, quæ audacia ipsi Irenæo & multis aliis piis Episcopis valde displicebat. Tempore Hieronymi tam rabiose iam de illa sede digladiati sunt Papæ, ut confligētibus duobus electis, Damaso, & Ursacio, templa cadaueribus repleta fuerint. De publicis erroribus nonnullorū pontificum nihil dico, ut de Liberio, quem Arrianis ad tempus saltem, fauisse, nec Platina, nec Nicephorus dissimulant: id autem affirmat Alphonsus de Castro Minorita lib. i. aduersus Hæreses: Item Anastasium Papam fauisse Nestorianis: & addit. Qui affirmant Papam non posse esse Hæreticum, in re se-

ria iocantur, Innocentius Papa, referente Augu-
 stino epist. 93. ad Patres concilii Mileuitani scri-
 psit, Eucharistiã infanti. ad salutem necessariam.
 Gerson, qui tẽpore concilii Constantiensis fuit,
 & concilio interfuit, in Sermone Paschali, de Io-
 hanne xxii Pontifice scribit, eum docuisse, ante
 diem Iudicii non puniendas animas impiorum,
 quas interea dormire somniabat: quem errorẽ
 Schola Parisiensis damnauit, Papa ad palinodi-
 am adducto. Hęc, inquã, & alia huiusmodi præ-
 tereo, quæ tamen ostendunt, siue mores, siue
 doctrinam spectes, non ita fuisse etiam superio-
 rum temporum Episcopos Romanos nãuorum
 expertes, vt Iesuitæ fingunt, qui tamen procul
 dubio conuicti in suis conscientiis, Romam nũc
 esse sedem Antichristi, sacramẽto se in suo ordi-
 ne obstringunt nullum suæ societatis ad Episco-
 patus, in primis Pontificatus culmen aspiraturũ.
 Sed hoc volumus, hoc pronũtiamus, hic volum⁹
 figere pedẽ, quo plus ab ea doctrina & fide disces-
 serũt Episcopi Ro. quã D. Paulus Romanis tradi-
 dit, & quę toto mũdo celebrabatur, eo magis re-
 prehẽdendos: & quicquid ex vlllo Episcopo, quãtũ-
 uis antiquo profertur pugnãs cũ doctrina gratui-
 tæ iustificationis, inuocatione vnus Dei per vnũ
 Christũ mediatorẽ, institutione S. Cœnæ Domi-
 nicæ, quã Apostolus eadẽ simplicitate tradidit,
 quã a Christo acceperat: id neotericũ, id nec Apo-
 stolicũ nec Catholicũ esse affirmamus. Neq; ta-
 mẽ, vt sepe diximus, & sepe testati sũt nostri, pro-
 pter aliquot nãuos discessionem a Pontificiis fe-
 cimus: donec Diabolus, ita illam sedem inuasit, vt
 ipsimet autores Põtifici eã verã esse, Babylonem.

agnouerint, persequentem sanctos: vt frustra etiam a multis magnis viris expetita fuerit Reformatio: & palam Idololatriæ, palam tyrannis, qua Reges ipsi & principes Christiani oppressi fuerunt, palam flagitia & Simonix contra ipsos Pontificiorum Canones obtinuerint. Etsi vero Leonis ipsius primi temporibus, & Gregorii primi in primis, superstitiones monachales cumulatae sunt & nihil magis est ridiculum illis miraculis & somniis, quæ a Gregorio 1. in Dialogis recitantur: dicimus tamen siue mores, siue doctrinam spectes, eos hodiernis Pontificiis longe tolerabiliores fuisse, nec tunc adhuc viguisse tyrannidem plenam Antichristi: sed per superstitiones fundamenta eius iacta: & Ecclesiae fundamentum de Fide in Christum valde labefactatum iam & conuulsum fuisse magnamque aberrationem factam a doctrina D. Pauli, in qua nihil de vita Monastica, de sanctorum inuocatione, de Purgatorio, de sacrificio pro viuis & mortuis, & imaginibus in templis ponendis extat, sed plane his ethelotrisciis, siue volutariis humanisque cultibus contraria doctrina. Interim tamen constanter Thyraeo negamus, eos qui post illa tempora vixere Pontifices, vestigiis vel Leonis vel Gregorii instituisse: qui si superessent hodie nobiscum procul dubio teterrima hæc monstra, quæ ipsis successerunt, detestarentur. Leo enim ille Episcopus Romanus non affectauit dominatum supra Principes terræ: nec eos inter se commisit, vt hodierni Pontifices: sed ferocem Attilam sua humanitate & humilitate placauit, & Augustis

stis Theodosio & Leoni demisse & cum omni reuerentia scripsit. Leo Episcopus locum Matt. 16. quo maxime nituntur Pontificii, non ad personam Petri, sed ad eius fidem & confessionem retulit, Sermone 2. & 3. de Petro: *Soliditas (inquit) illius Fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Hæc Fides Diabolum vincit, portæq; inferi aduersus eam præualere non possunt.* Christum quoque secundum vtramque naturam Mediatorem nostrum esse expresse docet his verbis, Epist. ad Iulianum, *Non esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus idemque Homo in utroque & vnus esset & verus.* Idem Sermone 4. Quadragesimali de Manichæis hoc scribit, quod sub altera tantum specie communicent, & sanguinem Redemptoris haurire declinent.

Ad Gregorium primum venio, ex quo secundum scripturas didicimus Papam esse Antichristum. Sic enim ille libr. 7. epistol. 194. ad Mauricium: *Ego fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem dicit, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit:* Et epist. 38. lib. 4. per nomen Episcopi vniuersalis turbari totam Ecclesiam: & licet Episcopo Romano vniuersalis Episcopi titulus oblatus fuerit, nullum tamen hoc temerarium nomen arripuisse: Interim Gregorius sui nonnunquam oblitus nimis sibi sumsit, vt videre est lib. 2. Epist. 11. Eum præterea eodem loco, quo nos habuisse Pastores, & Episcopos non proferentes sonum Euangelii, nec concionantes, habitantes cum mulieribus (quæ vxores nõ

sint) quales plerique hodie sunt in Papatu, manifestum est ex eius Pastoralis, & Epist. 109. ad Syagrium, Betherium & alios. Et fatetur Stella Sacerdos Venetus in eius vita: Gregorium postea successorem non habuisse parem: quia admodum humilis fuit, & ab Imperatore Mauritio inuitus, coactus fuit illam dignitatem suscipere: & conqueritur idem Stella non retineri in Ecclesia Romana officium ab eo præscriptum, unde fiat, ut multi viri docti ab illo officio abhorreant. De iustificatione ipsa multo tolerabilius scripsit, quam Pontificii nostri, *Sciant, (inquit) omnes sancti, quia omnis humana iustitia iniustitia esse deprehenditur, si diuinitus descripte iudicetur. Item: Humana iustitia Diuinæ iustitiæ comparata, iniustitia est.*

De Miraculis, quæ hodie Põtificii a nobis exigunt, pro nobis respondet Gregorius: *Numquid fratres mei, quia ista signa non facitis, minime credetis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad Fidem cresceret multitudo credentium, Miraculis fuerat nutrienda: Et sancta Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc Apostoli corporaliter faciebant, dum bonis exhortationibus malitiam de corde tollunt, serpentes auferunt: Miracula illa tanto maiora sunt, quanto spiritalia.*

De Sacrificio sic ille libro secundo in librum primum Regum: *Postquam Redemptor humani generis pro peccatis nostris nouo sacrificij genere se obtulit, esse Sacerdos consuetudine antiqua cessauit.*

De imaginibus, licet non omnino recte sentit,

fit,

fit, nullo modo tamen, nulloque cultu adorandas putavit: ut eas hodie Pontificii adorant, sed tantum ad Historias repræsentandas extare. Sic enim ille Epist. ad Serenum Episcop. Massiliens. *Ad nos peruenit, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, eadem Ecclesie imagines confregit, & proiecit: Et quidem Zelum, ne quid manufactum, adorari possit, laudauimus: sed frangere easdem non debuisse iudicamus: Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent: prohibendus est populus ab adoratione: sed nescij literarum Historia scientiam inde colligant. Libr. quarto epist. decima quinta ad quosdam Episcopos scribit, eos electos totius concilij iudicio & consensu, & serenissimi Principis voluntate.*

De Purgatorio dubitanter scribit lib. i. Dial. cap. 10. *Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio presentatur: sed tamen de quibusdam, leuibus culpis esse ante iudicium, purgatorius ignis credendus est.*

Fuit autem Gregorius in Exegeticis scriptis longe purior, & ad D. Augustini, (quem magnifici, sua scripta furem vocans præ siligine Augustini, & ad eius opera legenda alios cohortans) docendi rationem magis accessit, quam in Dialogis ubi plurima sunt & superstitionissima & ineptissima, ut vix mihi aliquando persuadere potuerim, virum illum talia scripsisse: quale est lib. 3. Dialog. de Stephano presbytero, cui Diabolus coactus fuerit obedire ad extrahendas caligas: *Itē de ducētis modis farina diuinitus ante cellam Benedicti missis.*

De Equilio Abbate castrato ab Angelo. Item, per corpus Pascasi mortuum miracula facta, & tamen ad tempus deductum ad poenas infernales. Et lib. 1. Dialog. de equo quodam furioso, qui adhibito signo crucis mansuefactus fuerit. Et hæc quidem ex ipso textu Gregorii eiusque scriptis desumimus. Quæ vero Thyraeus p. 158. Examinis Gregorio tribuit, magna ex parte commentitia sunt: vt quod ait eum libr. 25. Moralium cap. 1. scribere, Bona opera promereri vitam æternam: Item lib. 1. Dialog. cap. 8. Fidem non solam iustificare: vbi nil aliud docet Gregorius, quam nos & ad regnum cælorum & ad preces & bona opera esse prædestinatos. Nec ibi (vt fingit Thyraeus) vlla fit mentio Missæ, quæ sit sacrificium pro viuis & mortuis. Nihil, nihil ibi tale: sed ludicra multa ibi narrantur de Bonifacio quodam, qui precando 12. aureos a B. Virgine impetrauerit, & vulpem necauerit oratione, quæ gallinam deuorabat. Certum est etiam anno demum 1198. ab Innocentio Papa ad Fidei Articulos additum fuisse Articulum de Transubstantiatione, vt videre est in ipsis Decretalibus Titul. primo de summa Trinitat. & fide Catholica.

Vt igitur hunc locum concludamus, nugatur omnino Thyraeus pag. 159. Examinis, dicens, nos petere principium, nec posse ostendere, quando Romana Ecclesia deficere inceperit: & si respondemus, quando a vera Fide deflexit, idem esse ac deficere. Nos enim aperte, rotunde cum D. Paulo 1. Timoth. 4. desciscientes a Fide, siue vera Dei doctrina vocamus eos, qui Spiritibus deceptoribus attendunt ac doctri-

doctrinis dæmoniorum: quales sunt inter alias: prohibitio matrimonii, quod inter quosuis ordines est honorabile: abstinere a certis cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione: cum nihil reiiciendum sit, si cum gratiarum actione sumatur: Neglectis Diuinis mandatis traditiones hominum sectari: Idola colere, a quibus nos nobis cauere vult scriptura: Docere cum Iesuitis in Catechesi, variis modis expiari peccata, non solo sanguine Christi: corpus Christi esse hic vel ibi in terris reconditum in Monstrantiis: opus esse inuocatione sanctorum apud Deum, & aliis patronis & Mediatoribus quam Christo. Hæc & similia quicumque tradiderunt, in quorumcunq; scriptis inueniuntur, siue esset Tertullianus, siue Cyprianus, siue Episcopus aliquis Romanus, dicimus ea in parte saltem defici a puritate & veritate doctrinæ Apostolicæ. Sed licet Patres in commodas nonnunquam habeant phrasas, quia tamen alibi sese melius explicant, vocabula etiam meriti & sacrificii, & satisfactionum longe alio sensu, quam Pontificii vsurpant, vt sæpe a nostris ostensum fuit, & alii denique aliis puriores fuerunt, suaq; scripta cum iudicio & delectu legi voluerunt. multi etiam ex iis Martyres fuerunt; Nos vetustati illi suam laudem non detrahimus, licet infirmitates humanas & astum Diaboli in labefactanda paulatim puritate doctrinæ & superstruendis stipulis & fœno super fundamento agnosciamus: sed iustissimis de causis nos & maiores nostros secessisse a Romana Synagoga dicimus.

quia manifesta tyrannis loco Episcopalis functionis in sede Romana conspecta fuit: confusa politica administratio cum Ecclesiastica: Artolatria & Idololatria defensa: ferro & flammis sævium in eos, qui fidem Romanæ veteris Ecclesiæ epistola ad Romanos comprehensam retinuerunt: innumeri ordines Monachorum ab hominibus se cognominantium, & prætextu precû opes Regum & Principum exhaurientium instituti. Tot idola & Dii tutelares excogitati, quot sunt opificia, pagi, ciuitates. Fallus est ipse Piggius, acerrimus alias Papalis superstitionis propugnator, multos errores in Missam Pontificiam inuectos: & non tacite damnat Thyraeus ipse vanas opiniones Pontificiorum de merito: de Missis: de iustitia formata: quando pag. 176. 177. & 178. *nos nullis nostris meritis, gratuita Dei misericordia iustificari: opera sub iustificationem nõ ut meritum cadere, sed ut dispositiones & effecta gratiæ Diuinæ: Dei gratiam & iustitiam, non quidem essentialem (sed proculdubio imputatam Christi iustitiam) formam esse nostræ iustificationis. & tamen, ut blandiatur Pontificiis fidem Evangelicorum, præsumptionem vocat: quia cum D. Paulo statuunt & persuasi sunt, nihil posse eos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu: & norunt cui crediderint, & persuasi sunt, eum posse depositum nostrum seruare in diem illum.*

Verum adhuc hoc loco me subiicere cogit Thyraei futilitas: qui pagina 185. Examini, *male me racionatum* putat: nos ideo credere Ecclesiam

siam

siam, quia non semper conspicuam apparentemq₃ habeat gloriam.

*At aliquando conspicua est (inquit.) an igitur tunc non tenebimur credere? Respondeo: Credi quidem etiam ea, quæ videntur: sicut Thomas credidit Christo, quem vidit & palpauit: Nihilominus tamen fidem proprie dici de iis, quæ non videntur. Ideo D. Augustinus ait, Christum in cælum ascendisse, vt Fides nostra ædificaretur. credere autem dicimur Ecclesiam, primum quia verbo Dei credimus, in quo & promittitur conseruatio Ecclesiæ, & notæ eius describuntur. Deinde quia licet sæpe nigra sit, & non formosa, aut speciosa tempore vastationum, & ad tempus lateat, duret tamen & sit semper aliquis hominum cœtus isque non exiguus coram facie Domini qui eius nomē rite inuocet. Nec dicit Christus Matth. 24 Ecclesiam (vt vult Thyraeus) non redactum iri ad penetralia, vel conclauia: *Sed Christum non quarendum in deserto aut conclauibus, aut monstrantiis vel hostiis, sed in cælo ad gloriam patris.* Et recte Augustinus in Psalm. 46. Ecclesia vera est in sanctis: in his qui scripti sunt in cælo, qui mundi huius tentationibus non cedunt. Illi digni sunt nomine Firmamenti, qui firmi sunt in fide. Et in Psalm. 129. Ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra: Aliquando in solo Abel Ecclesia erat: aliquando in Enoch: aliquando in sola domo Noe: aliquando in solo Abraham. Nec tamen ita est exigua, quia multa millia in variis gentibus sibi seruat DEVS: nec ita obscura, quia*

in mediis persecutionibus illam illustrem reddat Deus, dum tot Monarchæ, tot Pontifices, tot Tyranni frustra in illam conspirant, & sanguis piorum quasi semen est & propagatio Ecclesiæ.

Et hæc quidem ad infirma fulcra tertiæ Demonstrationis Thyreanæ dicta sunt: Reliqua, quæ non argumenta sunt, sed conuicia, ut 22. illa Laurentii Arturi ex societate Iesu, & ex patria Anglia transfugæ ad Pontificios Polnanienses contra Lutheri vocationem dicteria, omitto.

Quod ad quartam Demonstrationem Thyraei attinet, cum sit Demetriani, quæ Cyprianus refutauit, & veterum hostium Ecclesiæ Hypothesis & obiectio contra Ecclesiam, non longa refutatione opus habet:

Non possunt mittere (inquit) qui mittendo extremam calamitatem adferunt gregi: Ministri Evangelici adferunt. Ergo mittere non possunt.

Sic proculdubio litem mouebit Christo Thyraeus dicenti se non venisse mittere pacem, sed bellum: cuius tamen mali optimus Seruator non est autor, sed rabies impotentissima mundi insurgentis in eius Euangelium. Quæ mala in orbem terrarum Henricorum Imperatorum, & Fridericorum temporibus inuexerint Pontifices Romani clamant illorum temporum historiæ, quidquid hic prætexat & excuset Thyraeus pag. 240. Examini: cui & Beno Cardinalis, & omnes de Pontificibus conquerentes sunt suspecti: & tamen Adrianus ipse Papa, referente Platina,

Platina, falsus est, *omnia mala a Pontificio culmine cœpisse ruere.* Et experiuntur hodie regna orbis Christiani nobilissima, in quibus contra legitimos Reges Papa armat & inflammat seditiosos ciues, Monachi autem ipsi Regum sicarios se præbent, vnde mala, vnde teterrima facinora fluant. Quid ad hæc Thyraeus? Perstringi queritur Romanum Pontificem, Regem Hispaniarum, & nescio quos Principes, quorum potius nos miseret, quod a Pontificibus & furis Iesuiticis incitati & sua regna & aliorum regna & principatus in discrimen adducant. Hæc certe non sunt tam Regum vicia, quam huius gentis togatæ, quæ Regibus tanquam mancipiis vtitur. Quod vero dissidia Euangelicorum nobis obiicit, iam sæpe respondimus, nunquam ne Apostolicis quidem temporibus Ecclesiam tam bene compositam fuisse, quin paroxysmi, contentionesve aliquæ exorirentur: quas tamen pii omnes & iniquo animo ferunt, & de illis sedandis serio laborant: deinde illas turbas & dissensiones diximus pauculis Vbiquitariis & Flaccianis Pontificiæ tyrannidis æmulis esse tribuendas: non Euangelicis Ecclesiis, quæ cum multis gemitibus illorum irreconciliabiles & turbulentos mores deplorarunt, & eosdem sæpe increparunt, ac tandem valere iusserunt.

Quod nos Thyraeus ad suas, quas sic vocat, demonstrationes ablegat, quibus probauerit, Papam non esse Antichristum, vellem eum potius cum familiari suo & populari Graminæo transigere, & de Antichristo aliquid certi defi-

nire: vel refutationem suarum obiectionum in
 disputationibus Heerbrandi, Danæi, D. Sohni
 p. m. de Antichristo inspicere, ne in eis repeten-
 dis tempus perdamus. Veritas breuitate dele-
 ctatur: Thyreus Hypotheses suas cumulat, vt
 impleat chartas typographorum suorum, & ni-
 hil nisi sua somnia pro demonstrationibus ad-
 fert: qualis est longa illa fabula de transubstan-
 tiatione: quam pag. 248. multis verbis repetit:
 pronuncians eos hæreticos, qui eam non cre-
 dant, cum de ea doctiores Pontificii dubitarint,
 & viderint, diuersas esse propositiones: quando
deum inquit dicitur: Hoc est Corpus meum: & virtute
 verborum pronuntiatorum. Hic panis, qui pa-
 nis est transibit in substantiam corporis: rema-
 nentibus tamen accidentibus sine subiecto: li-
 cet subiectum maneat in manu sacerdotis, fran-
 gatur, & in ventriculum descendat. Et si panis
 erat transubstantiatus in corpus, & calix in san-
 guine, cur testatur Historia Euangelica, Christum
 corpore affedisce discipulis, disparuisse nun-
 quam: corpus non traditum, nec fractum reali-
 ter nisi in Cruce? Cur illi Sacrificium *ἀναίματος*?
 Cur Tertullianus & Patres panem figuram, si-
 gnum, typum, antitypa corporis vocarunt? Cur
 inter Hæreticos non numerat Diuum Paulum,
 qui ante, & post verba institutionis, PANEM
 vocat PANEM non corpus transubstantiatum?
 Desinat itaque Thyreus Euangelicos Mini-
 stros infectari: Desinat lucem appellare te-
 nebras, & tenebras lucem: Desinat cum in-
 credulis Iudæis hoc argumento Euangelicos,
 premere

premere, Act. 28. *De seclta ista notum est nobis
vbique ei contradici.*

CAPVT IIII.

De officio Pastoralis, & eius partibus.

Futuro Pastori saepe praec oculis esse debet dictum illud Augustini in Epistola ad Valerium Episcopum: *Nihil in hac vita & maxime hoc tempore facilius & leuius & hominibus acceptabilius officio presbyteri aut Episcopi, si perfunctorie agas & adulatorie: sed nihil apud Deum tristius & damnabilius: Rursus nihil apud homines odiosius: apud Deum autem nil beatius, quam si eo modo militetur, quo Dominus noster iubet.* Praeclaram vero hypotyposin Pastoralis officii habemus Ezechielis trigesimo quarto, & Psalmo vigesimo tertio, & Iohannis decimo, in Archetypo illo Pastorum, Domino nostro Iesu Christo, ex quibus locis has quinque potissimum esse Pastoralis officii partes colligimus. Primum *in bona persona ducere oves, siue eas bene pascere, ut Petrum monet Christus, Iohan. vigesimo primo, Pasce oves meas.* quod, inquit Cyprianus, vni dictum ad unitatem Ecclesiae significandam, & omnibus tamen idem dictum & datum quod Petro, cum pari consortio honoris & potestatis praediti fuerint omnes Apostoli. Secundo, *arcere ab eis lupos & omnes res noxias, & sic educere, ut reducantur.* Tertio, *errantes in via reducere:* Quarto *agrotus & infirmas ferere, curare, corroborare.* Quinto *etiam eas;*

quæ oves nondum videntur, quarere, & lucrifacere Christo, & ad ovile adducere. Nam vt recte monet Augustinus Tractat. 46. in Iohannem, Christus nouit suas oves, antequam se ipsas noscant, aut agnoscantur, nimirum secundum prædestinationem & electionem ante constitutionem mundi: secundum hanc, quam multæ, inquit, oves foris aliquando vocandæ, quam multi lupi intus, hypocritæ & alii Apostatæ futuri? Primum ergo requisitum in bono & fido pastore est, vt bene pascat, Act. 20. Attēdite vos ipsos & totum gregem, in quem vos Spiritus S. constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisiuit. Item: nō subterfugi quin annunciarerem vobis omne Dei consilium: & primo Petr. sexto. Pascite Dei gregem, qui inter vos est. 1. Corinth. 9. dicuntur veri Ministri, v. 7. pascere gregem: vers. 11. seminate spiritualia Quodnam sit illud pabulum ostendit etiam D. Paul. 1. Thess. 2. Annunciauimus Euangelium cum multo certamine, non ex impostura, nec impuritate, nec dolo: Euangelium ergo est verbum vitæ æternæ, Ioh. 6. sine sophistica impostura & dolo traditum, vt monet locus ille Pauli ex epistola ad Thessal. Hæretici & impostores licet prætendant Euangelium, sunt per hypocrisim falsiloqui. 1. ad Timoth. 4. & solent καπηλεύειν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. 2. Corinth. 2. id est, adulterare Dei verbum, vt caupones vinum, pro polæ merces adulterant: miscent quippe sua somnia & inuenta quæ paleæ computantur. Ierem. 23. *Quid palea cum tritico commune est, inquit Jehona*

Iehona, id est, quid commune est doctrinæ pseudo- prophetarum cum doctrina sincera Dei? pseudo- prophetæ, licet blandiantur, & arte compositis sermonibus vtantur, non pascunt, sed depascunt & perdunt gregem secundæ ad Timotheum 4. capite ad fabulas abducunt, subuertunt auditores. 2. Timoth. 2. fidi pastores tenent exemplar sanorum sermonum secundæ ad Timotheum primo.

Ex his possunt hi Canones extrui:

1. Pastor non hunc scopum propositum habere debet, vt seipsum pascat, sed gregem Christi.

2. Pastor, vt bene pascat, debet pinguia, & salubria pascua perspecta habere, atque ideo in scripturis esse exercitatus: & scire quomodo tractandæ & applicandæ sint. Nam si cæcus cæco præeat, ambo in foueam cadent, Matth. 15. Quapropter in Concilio Toletano decretum fuit, *ignorantiam sacerdotibus fugiendam, tanquam omnium errorum matrem.*

3. Vt Pastor bene pascat, sanos sermones & verbum vitæ ouibus suis proponere debet. Tales vero sermones sunt Christi verba, & doctrina de gratuita iustificatione per sanguinem eius, & manducatione carnis viuificæ, quæ fit per fidem. Iustus quippe fide sua viuit, ad Romanos primo. Et viuius in Christo & ex Christo per fidem in nobis habitante, ad Galatas secundo.

4 Hinc sequitur, nihil in Sacerdote tam periculofum apud Deum, tam turpe apud homines esse, vt scribit Ambrosius in Epistola ad Theodosium, quam veritatem non libere & candide docere. Nam qui veritatem dissimulant, aut interpolant, non pascunt, sed perdunt gregem. Idcirco satis laudari non potest præclarum illud Hilarij dictum ad Constantium Augustum: *Melius est mihi in hoc seculo mori, quam alicuius privati potentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere.*

5 Vt bene pascat Pastor, ouium captus est considerandus. Nonnullis enim lac, aliis cibus solidior præbendus est, vt ait Apostolus primæ ad Corint. 3. Lactis potu vos alui, & nõ esca, siue solido cibo, quia id nondum ferre poteratis. Interim debet illud lac sermonis, esse sincerum, vt monet Diuus Petrus i. Epistolæ capite secundo, per tale lac enim familiarior quidem & simplicior doctrina, sed eiusdem veritatis, quæ vna est in Christo, intelligitur: non autem adulteratio aliqua doctrinæ ad hominum arbitrium accommodata, quæ venenum potius quam lac censenda est.

6 Pastor, vt bene pascat, non debet altera manu eripere, quod dat altera: Atqui is, qui bene docet & male viuit, (vt inquit Nazianzenus,) sinistra manu eripit, quod dat dextra.

7 Nec parum facit ad bene pascendum gregem, si pastores Ecclesiæ, operam dent, vt in sermone obscuras & ambiguas phrasas, implicatas
peris

periodos, prophanitatem vocum, ineptas similitudines & insulsa proverbia fugiant, & sint eorum sermones intelligibiles, perspicui & ad edificationem comparati.

QVÆSTIO.

An non pertineat etiam ad Pastoris officium procurare pabulum corporis, præsertim pauperibus, & quatenus rebus secularibus se admiscere possit?

Quemadmodum certum est Pastores Evangelii, pabuli spiritualis esse ministros (vnde responderunt Apostoli Act. 6. non esse æquum, se derelicto sermone, Dei ministrare mensis, id est, totos se impendere rationibus & œconomia eleemosynarum) ita pulchre dixit Ieronymus ad Nepotianum: *Non parietes templi ornare, sed pauperibus providere, gloriam esse Episcoporum.* Sic igitur licet procurare quidem commoda pauperum, & collectas pro pauperibus, ut præcipua cura sit sermonis Divini & pabuli cœlestis: Apostolos non deposuisse curam pauperum, sed de illorum potius sublevatione fuisse sollicitos, licet œconomia ipsa eleemosynarum certis Diaconis commissa esset, apparet ex Roman. 15. & 2. Corinth. octavo & nono. Non temere autem Gregorius in Pastoralis suo 2. part. cap. 2. sic scribit: *Secularia negotia aliquando ex compassione ferenda sunt, nunquam vero ex amore requirenda: egētis etenim mentē doctrinae sermo egre penetrat, si hanc apud eius animum manus misericordiae non cōmendat. Sed conquerūtur*

sape & B. Augustinus & Gregorius, se vitandorum multorum incommodorum causa, & imprimis ne coram infidelibus deridenda propinaretur religio Christiana, præter voluntatem suam coactos nimis temporis impendere cognitioni rerum secularium. Cæterum recte, & prudenter monet Cyprianus epist. 9. lib. 1. alienum esse presbyterum tutoris oneribus grauari. Et in veteribus conciliis decretum fuit, ne serui Ecclesiarum publicis angariis fatigantur, ut Ministri imprimis, in sermone administrando eo melius & diligentius laborare possint.

ALTERA pars officii Pastoralis est, ut ab ouili lupos & res omnes noxias arceant. Hoc pacto enim Christus ipse Ioh. 10. v. 12. verum Pastorem a Mercenario discernit, quod Mercenarius, qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videns lupum venientem, oues relinquat & fugiat, & sic fiat, ut lupus eas rapiat & discerpit. Verum quæritur potest, si is Mercenarius est, cuius oues non sunt propriæ, an non sequatur, omnes Ecclesiæ ministros esse Mercenarios, cum constet non eorum esse oues, sed Christi? Respondeo, comparisonem quidem sed secundum quid a rebus humanis sumi, & vulgo mercenarium appellari Tagelöhner/ siue qui mercede conductus est ad singulos dies, vel ab breue tempus, & cuius oues non sunt propriæ: neque tamen applicari totam illam comparisonem ad Pastorem Evangelicum, & Mercenarium eum esse, qui licet doceat, cura Pastoralis non afficitur, & studio tantum vel propriæ gloriæ vel opum ducitur, ac facile

eile deserit gregem, sicut ii, inquit Augustinus, de quibus Paulus Philip. 2. qui sua propria quærebant, non quæ sunt Christi, & Christum quidem docent, verum ex cõtentione aut avaritia. Ideo citatur in Canonibus dictum Augustini: *Diligendus est Pastor, tolerandus Mercenarius, cavendus Latro.* Tolerandus scilicet ille, quamdiu & sincere docet, & melius moratus magisque cordatus inueniri nequit. Satis autem diligi pius & fidus Pastor non potest, qui auditores suos indefesso labore tanquam filiolos parturit, & Christo despondet. Si quis porro quærat, quidnã per lupum hoc loco intelligatur, respondemus, magnum quidem & teterrimum lupum, draconem & leonem esse Diabolum, & eius quoque ministros tyrannos & Ecclesiæ persecutores, qui luporum instar in gregem dominicum grassantur, lupos recte vocari, sicut fit Matth. 10. *Mitto vos tanquam oves, in medio luporum.* Hoc tamen loco proprie per lupos intelliguntur hæretici & falsi Doctores, qui Act. 20. lupi graues, non parcentes gregi vocantur, quando quidem & Ecclesias vastant, & animas necant.

Quia autem Mercenariorum paulo ante mētio facta est, qui gregem tempore persecutionis deserunt, quæri non intempestiue potest, an non ergo aliquando liceat tempore persecutionis pastoribus fugere? Negat Tertullianus simpliciter debere aut posse fugere Pastorem: Augustinus vero cuius sententiam plerique amplectuntur in Epistol. ad Honoratum, fugæ causas & occasiones distinguit, & ex ipsius Christi

testimoniis Matth. 10. & Apostolorum exemplis probat, licere nonnunquam piis Pastoribus indomitam persecutorum rabiem fugere: ita tamen, ut fugienda non sit, vel deserenda vocatio, aut occasio bene faciendi Ecclesiæ, & eam saltem consilio, auxilio & consolatione iuvandi, quemadmodum Divus Paulus Coloss. 2. testatur, se corpore absentem, spiritu fuisse presentissimum. Deinde fugiendum non est, nisi tunc, cum in certo loco non licet fungi Ministerio, & ex nostra presentia maius malum & periculum Ecclesiæ Dei imminere videtur. Fugit aliquando Divus Paulus, sed nec vocationem, nec pericula fugit: & paratum se esse professus est Act. 21. tum vinciri tum mori Ierosolymis pro nomine Christi. At Mercenarius labores, curas, pericula, & vocationem fugit. quapropter magnum discrimen est inter Pastoris & Mercenarii fugam, præsertim cum Pastor nihil in his faciat, nisi ex ipsius Ecclesiæ aut reliquiarum iudicio & consensu.

TERTIA pars officii Pastoralis, de errantibus oviculis in viam reducendis. Cum ipsis etiã Christi oviculis vel a propriis affectibus, vel a peruersis hominibus seductis contingat nonnunquam aberrare, iam in moribus, ut Dauidi accidit, qui Psalmo centesimo decimo nono ait. *Erravit ut ovis, quæ perierat: require seruum tuum:* iam in doctrina, aut etiam in utroque, sicut Galatis acciderat, ad curam pastorem illud etiam pertinet, ut errantes oviculæ in viam reducantur, quod Christus ipse Luc. 15. in parabola ovis amissæ nõ
obscure

obscure docet. Etsi vero Dei proprium est, errantes conuertere, & in viam reducere, vt tamen ad eam rem hominum ministerio: quæ admodum olim Prophetam Nathan ad Dauidem ablegauit. Quare vt prudenter monet Cyprianus, *solicite cauendum est, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat.* Et Ambrosius in epistol. ad Theodosium, in qua eum ad pœnitentiam reuocat: *Si Sacerdos aut Propheta, inquit, ex Ezechielis capite tertio, non dixerit erranti peccatum suum, morietur quidem peccator in peccato suo: sanguinem autem a Sacerdote repetet sebona:* Et Ezechielis 13. Væ, ait Dominus, consuentibus puluillos sub axillis populi mei, id est fouentibus illum in peccatis, nec laborantibus de eo in viam reducendo. In quærendis vero & reducendis ouiculis Christi, oportet temperamentum esse lenitatis & austeritatis, *vt sit amor,* inquit Gregorius, *non emolliens, rigor non exasperans,* & prudenter discernantur errores, ac denique cum ouiculis ita agatur, vt agnoscant & sentiant, Pastores quærere earum salutem. Ideo Diuus Paulus obiurgationibus, quibus vtitur, blandissimas preces & vere paternas admonitiones admiscere solet, vt videre est 2. Cor. 11. & in epist. ad Gal. Potestas enim Ecclesiastica, vt idē admonet 2. Corin. 10. data est ad ædificationē non ad subuersionē. Ad hanc porro, de qua agimus Pastoralis officii partem exequendam oportet Pastorem primum corroborari peculiari Dei gratia 2. Timoth. 2. labores ferre, perpeti multa & hoc apud se statuere, licet multi a scopo aberrēt, *solidū Dei fundamētū*

tum stare, habens sigillum hoc, *Novit Dominus qui sui sunt.* Secundo tempestive omnia agere: iam arguere, iam obiurgare, secundum Timotheum 4. & instare etiam intempestive, nimirum apud eos, quibus nūquam est tempestivum ut admonentur. Prudenter autem monet Gregorius tert. part. Pastoral. cap. i. Magnam esse auditorū & ouium habendam rationem, aliter admonendos conjugatos, aliter cœlibes, aliter viros, aliter fœminas: aliter doctos, aliter indoctos, & ita vigere debere disciplinæ severitatem, ut non nisi extrema necessitate postulante & post multas admonitiones priuatas & publicas ad excommunicationem veniatur, & sit eius finis non ut perdamus fratrem, sed ut seruemus & in viam reducamus, iuxta D. Pauli regulā secundo ad Thessal. 3i. Non ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem. Quam multa enim, Deus bone, minus feliciter hodie in ministerio Ecclesiastico succedunt, quam sæpe etiam abalienantur, qui reduci poterant propter vel imprudentiam vel morositatem, vel intempestivam lenitatem & fœcordiam multorum Pastorum? Extat autem hac de re præclara Homilia Diui Bernhardi, quod Ecclesiæ Ministrum, prout res sese dant, lenem & austerum esse oporteat. Quapropter eos, qui munere suo rite defungi volunt, hominum ingenia, captum & mores probe recognoscere & Dominum Deum indefinenter precari oportet, ut tum Spiritum discretionis, tum gratiam & efficaciam admonitionibus ipsorum largiri velit.

QUARTA

QVARTA pars Pastoralis officii in eo consistit, vt ægrotæ ouiculæ foueantur & curentur, & ex intimo cordis affectu alienis infirmitatibus compatiamur. Natura hominum, inquit Ieronimus, ad clementiam prona est, & in alieno peccato sui quisque miseretur. Ita tamen fouendæ sunt ægrotæ ouiculæ, vt non sit minor medicina quam vulnus, inquit Cyprianus, quia hoc non est curare, sed si dicere voluerimus, occidere, remittere disciplinam. Cæterum infirmitates & morbi non sunt vnius generis. Nonnulli enim ex auditoribus nostris cum tristibus cogitationibus & horroribus conflantur, qui piis & sanctis consolationibus erigendi sunt: Exemplum vide 2. Corinth. 2. vers. 7. Alii dubia habent, & in nonnullis vel locis vel interpretationibus hæsitant, & sunt multi, qui infirmiore iudicio præditi sunt, aut qui facile offenduntur & teneriores habent conscientias, etiam si alias viri sint non mali, & erga Religionem non male affecti. Cum his quomodo agendum sit, ostendit D. Paulus Roman. 14. Alii a Sathana & carne præoccupati in quasdam offensas & quedam peccata prolabuntur, de quibus vide 1. Corinth. 10. v. 13. & Galat. 6. v. 1. Alii diuturnis morbis aut afflictionibus fracti labascunt. Remedium autem contra huiusmodi infirmitates vide Iohan. 16. ad Romanos. 8 & 2. Corinth. 1. v. 8. 9. 10.

QVINTA pars officii Pastoralis, hoc postulat vt oues ipsas Christi, quæ adhuc extra ouile sunt quæramus, quia finis prædicationis Euangelicæ

est, ut ad Christum congregentur omnes electi. Nam quod ait Diuus Paulus, 1. Corinth. 5. *Quid mea interest de extraneis iudicare? nonne de iis, qui intrus sunt, vos iudicatis?* secundum quid est intelligendum, nempe de Administratione disciplinæ Ecclesiasticæ, quam exercere non possumus erga eos, qui foris sunt: non autem de cura salutis & de Instructione, quam omnib. libenter imperiri debemus, quotiescûq; se occasio offert. Ideo Christus in Euagelio sub parabola, seruos suos in vias & sepes abire iubet & hospites cogere ingredi, ut impleatur domus ipsius, quod alibi, nempe Ioh. 10. sic interpretatur, *alias oves habeo, que non sunt ex caula, illas quoque oportet me adducere. Nam vocem meam audient, fietque unum ovile.* vbi de vocatione gentium, & eorum, qui extra Ecclesiam sunt, agitur. Quando autem prædicatur & diligenter inculcatur doctrina Euangelica, in magno præsertim cœtu, agnoscuntur tandem oves Christi, quia licet initio repugnent, & sæpe etiam sinister præiudiciis imbuti multi ad tempus doctrinam Christianam auertentur, postea tamen cedunt, & diligentius de auditis cogitant, ac tandem credunt, quotquot ordinati sunt ad vitam æternam. Hoc modo autem quæruntur & compelluntur intrare, quando piam ostendimus erga eos sollicitudinem, & publice ac priuatim occasiones eos instituendi & ædificandi quærimus, nec statim ab incepto desistimus, sed admonitiones iteramus, & acuimus, ac etiam per eos, qui aliquid apud tales possunt, & iam instituti sunt, eos monemus, & saltem ad audiendum ac legem-

legendum prouocamus. Nam qui pertinaciter reuunt audire & legere, iis succurri non potest, nisi Deus extra ordinem eos flectat, quemadmodum non paucos certis flagellis expergefaceret & ad veritatis Euangelicæ amorē compellere solet. Non parum etiam ad alienos a Fide lucrificandos, (quemadmodum variis in locis testatur Historia Ecclesiastica) faciunt pietatis officia, quando scilicet tempore pestis aut aliarum publicarum calamitatum ex huiusmodi officiis tanquam ex fructibus de doctrina & Fide nostra iudicant. Væ igitur illis, qui proximo offendiculum ponunt, & non solum de alliciendis & lucrificandis exteris solliciti non sunt, quin potius suis insulsis & prauis moribus eos deterrent. Quapropter non immerito in Pastoralis suo conqueritur Bucerus de iis Magistratibus, qui populorum sibi subiectorum salutem nec curant nec procurant, eos tantum velut pecora quæstui habentes, & vt sæpe fit, depascētes potius quam pascentes, cum tamē reges & principes, populorum quoque pastores in prophanis & sacris literis appellentur. Similiter peccant illi magistratus, & grauem omnino reprehensionem merentur, qui Iudæos in alium finē apud se non habent, quam vt pecuniam ab eis corradant: & tantum abest, vt eos institui curent vt eos potius impuros suos & blasphemos cultus exercere patiantur. In eandem reprehensionem incurrunt, qui postquam nouas ditiones armis aut alia ratione subegerunt, de quæstoribus quidem & exactoribus ipsis præficiendis, primas cogitationes suscipiunt, de

iis in Religione instituendis aut viris idoneis ad eos instituendos conquirendis nullo modo laborant, parumque sunt solliciti, quid subditi credant, modo annua tributa, annualque angarias præstent.

CAPVT V.

*De præsidio & solatio Pastorum in eorum
functione.*

SItantum intueremur vel muneris Pastoralis magnitudinem, vel pericula, quæ iam a persecutoribus, iam ab hæreticis imminet, vel hominum impatientiam, qui disciplinæ Ecclesiasticæ iugum ferre nolunt, animum facile despõderemus & ad aliud quiduis potius quam ad Pastorale munus animum adiungeremus. Verum quando rursus præsidiorum, quibus in hoc grauissimo munere nitimur, & peculiarium promissionum piis fidisque Pastoribus factarum recordamur, non possumus non sanctissima vocatione, quæ nos Dei ipsius *συνεργος* & mysteriorum cælestium œconomus facit, non valde delectari. Quotiescunque autem muneris illius magnitudo & nostra infirmitas succurrit, succurrere simul hæc duo debent, primum nos ad illud munus non accedere fiducia nostræ industriæ vel virtutis, sed eius certissima promissione, qui dixit Ierem. 1. *Ne dicito, puer sum, sed ad quæcunque miserero te, ito, & quæcunque præcepero tibi, loquitor: Ne timeto, nam adsum tibi, & indo verba mea ori tuo: Item Matth. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus*
patris

patris vestri, is est, qui loquitur in vobis. & Matth. 28. Profecti docete seruare omnia, quae mandauit vobis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, & 2. Corinth. 10. Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed diuinitus valida ad subuersionemmunitionum &c. Alterum cuius meminisse oportet, est Deum quae stulta & infirma in hoc mundo videntur, solere eligere, vt confundat fortia, & totam huius seculi sapientiam pudefaciat. Et latent saepe ad tempus ingenia, Dei que optimi maximi dona, tantisper dum ea Dominus tempore suo cum omnium admiratione in lucem producat. Didymus Alexandrinus ab infantia caecus insigne Dei organum euasit. Alexander Constantinopolitanus Episcopus pietate potius quam doctrina conspicuus magno cum fructu Ecclesiae praefuit. Augustinus in tota adolescentia Paganismo & postea Manichaeis tanto pere addictus erat, vt vix spes esset, illum futurum Christianum, multo minus Episcopum. Chrysostomus li. 1. de dignitate sacerdotali cap. 6. 7. 8. longa oratione se se purgat, quod diu reluctatus sit, cum ad Ministerium vocaretur, ad quod se non idoneum arbitraretur. Recte itaque monet Gregorius in Pastoralis part. 1. cap. 2. nonnullos ex humilitate quae Pastorale munus refugere: at qui (inquit) non est vere humilis, qui suo potius nutu agit, quam vt Dei & Ecclesiae vocantis nutum sequatur. Humilis est qui diuina dispositioni subditus a vitio obstinationis est alienus &c. Nec illi laudandi sunt, qui simplicitatem sic affectant, vt inciuiles & sordidos se se praebant, vnde illud B. Ieronymi ad Eusto-

chium circumfertur: *Neq; affectatas sordes, neq; exquisitas delicias esse laudabiles.*

Quod ad ætatem attinet, etsi operæ pretium esset, non plane imberbes iuvenes ad munus Pastorale vocari, si qui tamen tales vocantur, recordari debent eius, quod i. Timoth 4. scribitur: *Nemo iuuentutem tuam despiciat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conuersatione &c.* Hoc pacto enim autoritas iuuetuti cõciliatur, quando scilicet iuvenes ministri in annis quæ adhuc nouelli, sed in fidei laude prouecti sunt, vt de quodam Aurelio iuvene presbytero loquitur Cyprianus ep. 5. Nec impedit quod scribit Aristot. lib. 6. Eth. iuvenes nõ posse esse prudentes, quod prudentia experientiam requirat. Esto id in ciuilibus. At in rebus sacris & cęlestibus talis prudentia a Spiritu S. & Dei verbo suppeditatur, qua filii Dei senes & grandæuos multos superant, vt de se proficitur Dauid Psal. 119.

Si quem porro persequutiones aut hæreticorum contradictiones terrēt, illū statuere velim, quod D. Paulus Rom. 16. scribit: *Deum sub pedibus nostris contriturum esse Sathanam & quidem cito:* Itē illud i. Ioh. 4. *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos, quoniam potentior est, qui est in vobis, quam qui in mundo.* Nonne quæso tam infelix fuit persequutorum Ecclesiæ conatus, vt illi sæpe Dei manum sentientes, coacti fuerint, (sicut commemorat historia Ecclesiastica,) Christianos ipsos rogare, vt iratū numen suis precibus placarent, vt iam de tyrannorum pœnis, & miserrimo exitu nihil dicamus? Interim durat & perseuerat Ecclesia tanquam Marpesium saxum contra improborum homi-

nū assultus & molitiones, & vident agnoscūtq; omnes sapientes, & Deum timentes, ea mala, eos motus, eas deniq; distractiones, quæ Ecclesiam exercent, nec Euangelio, nec bonis fidisq; pastoribus, sed Sathanæ & eius organis, falsis fratrib. superbis & elatis ingeniis, aliisque huiusmodi sceleratis hominibus ascribi debere. *Et ipsa hereticorum improbatio*, inquit Augustinus. lib. 7. Confess. cap. 19. *magis eminere facit, quid Ecclesia Dei sentiat, & quid habeat sana doctrina.* Et potest quidē laborare veritas, nō autē vinci, nullis machinis destrui: nullis ne quidē Chrysippeis sophistarū nodis impediri. Expedi enim se & effert tandē collabētibus & in fumū abeuntib. Hæreticorū præstigiis. Ceterum contra hominum ingratiudinē & impatientiam consolari nos debet, quod Deus ipse est Sors & Portio nostra, vt de Leuitis dicebatur Deuteronom. 10. & quod pii doctores, teste Daniele cap. 10. instar solis splendebūt, quod denique Christus ipse Pastorum princeps multam in terris ingratiudinem expertus est, multorumque conuicia & maledicta pertulit: Regium quippe est, inquiebat Alexander Macedo, cum facias bene, audire male. *Nobis igitur sit constitutum, nos in omnibus approbare vt Dei Ministros, tolerantia multa in oppressiombus, in laboribus, in vigiliis, puritate, scientia, sermone veritatis, & Christo seruire per gloriam & ignominiam, per conuicia & laudes, vt seductores & tamen veraces, vt dolentes, semper tamen gaudentes, vt pauperes sed multos ditantes, vt nihil habentes, sed omnia obtinentes. Ulciscetur enim aliquando mundi ingratiudinem iustissimū*


iudex, & vt venuste scribit Cyprianus epist. 9. libr. 4. *Qui nunc non credit Christo sacerdotem faciēti, credet aliquando vindicanti.*

Quod ad disciplinam Ecclesiasticam attinet, non est vt animum despondeat pius Pastor, si nō ita statim locum apud homines inueniat: instaurabitur autem facile, modo ipse ante omnia vita & moribus inculpatis aliis præeat, & re ipsa ostēdat, se gregis salutem & commodum ex animo quærere: Deinde si auditores suos subinde ex Dei verbo & veteris Ecclesiæ consuetudine de disciplinæ usu & necessitate erudiuerit. *Itaque fratres mei dilecti*, inquit Diuus Paulus. Cor. 15. *firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, cum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino &c.* Et quando non omnia quo ad disciplinam, ex animi sententia nobis succedunt, in mentem illud Augustini de Fide & operibus cap. 5. venire debet: nos ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, vt ex vtrisque testimoniis tutam sententiam moderemur, & nonnunquam canes in Ecclesia propter Ecclesiæ pacem toleremus, & canibus sanctum, vbi Ecclesiæ pax tuta est, nō demus. Et lib. 3. contra Parmenianum, Misericorditer corripiat homo, quod potest: quod autē nō potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat. In primis monendi sunt auditores, non esse illos Pastores, sed intrinsecus lupos rapaces: *qui veniunt cum vestimentis ouium*, id est, specie mansuetudinis, & vitis blandientes, siue vt Diuus Paulus Rom. 16. loquitur, qui ventri suo seruientes per blandiloquentiam & assentationem

nem

uem simplicium corda seducunt. Finis autem & scopus officii Pastoralis semper esse debet, vt oues errantes serio conuertantur ad Pastorem, & curatorem animarum, ad Dei optimi maximi gloriam, qui omnium nostrarum actionum finis est vltimus. Hunc ego toto pectore precor, vt Pastores det Ecclesiæ suæ, qui sint secundum cor ipsius, & quærant non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi, vt per tales Pastores, in Gallia præsertim, Belgio & aliis locis instauretur eius Ecclesia, & veritas late propagetur. Amen.

Coronidis loco attexemus elegantem eiusdem argumenti libellum D. Ambrosij, qui in Ecclesia claruit circa annum 380.



DIVI AMBROSII
MEDIOLANENS. EPISCOPI
 de dignitate Sacerdotali
 Liber vnus.

*De causis autorem mouentibus, vt sacerdotes at-
 que conseruos suos de vita perfecta commo-
 nere, ac laborem propositi operis sus-
 cipere curauerit.*

CAPVT I.

Siquis, fratres, oraculi reminiscatur Do-
 mini, quo frugi famulum, de seruata sibi
 pecunia, quam ad prærogandum suscepe-
 rat, increpauit dicens: *Tu dedisses pecuniam
 meam, & ego veniens cum usuris exegissem eam;*
 non iam ociosus auditor, collatam sibi di-
 uini muneris gratiam, suis tantum vsibus re-
 seruabit, sed cunctis eam communicabilem
 faciens, copiosius prærogando securius
 possidebit, vt sibi per hæc & plurimis
 ædificationis exhibeat fructum, & ve-
 lut decora arbor pomis referta non in-
 fructuose probatur occupare terram,
 dum viuit, cum & per seipsam suis po-
 mis ornatur, & omnis, qui ex ea fructum
 perceperit, saginatur, Beato nos etiam

Apostolo ad hæc eadem inuitante: *Nolite querere, quæ vestra sunt, sed quæ aliorum.* Et alibi: *Non quero quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant.* Idcirco nos, quibus in verbis diuinis credita est dispensatio, & qui gregem Christi alendum nutriendumque suscepimus, non sine ingentis periculi noxa nos credimus euasuros, si non secundum hunc modum viuamus, aut etiam si minime prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet vitæ huius improbitas, inuitat nos tamen præcepti necessitas. Et vix iam mihi est, si minime prædicauero, & si susceptum thesaurum in terra defossum, id est, in meo corde diu occuluero, & lucernam diuini verbi compressam sub modio retentauero, & non super candelabrum propositam cunctorum oculis manifestauero, & claustra humanæ imperitiæ per clauas illas regni cælorum, quas in beato Petro Apostolo cuncti suscepimus sacerdotes minime reserauero, ut audire per hæc merear pro lingue meæ modulo: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Vnde verens his increpationibus & suppliciis subdi, timore poenæ perculsus, amore fraterno inuitatus, non iam ad subditum loquor vulgus quos iugiter

iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam prædicatores vulgi mea verba conuerto: & meis consensibus, velut obediens seruus, id est, Episcopus Sacerdotibus, antistes pontificibus audacter prædicare salutis communia non retardabo. Nec prærogatiuam mihi met scientiæ, si hæc meis consacerdotibus charitatis intuitu prærogem, vëdicabo, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cum de vita perfecta alios moneo, sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor, audiam.

De aggressu desiderati laboris, & cohortatione auditorum, Sacerdotalisque prærogatiuæ & dignitatis præmonstratione.

CAPVT II.

AGgrediar iam diuina ope suffultus facultate qua valeo, & eorum precibus adiutus, ad quos noster respicit sermo, desideratum carnam iter, & in gremio quasi cō sacerdotum positus, ipsos alloquor sacerdotes. Audite me beatissimi patres, & si dignū ducitis, sanctissimi fratres. Audite me stirps Leuitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. Audite me rogantem vos pariter &

timētem, & commodis & commonitionibus solito consulentē, & honorem Episcopatus demonstrare volentem, vt cū honoris vobis prærogatiuā monstremus, merita etiam congrua requiram⁹. Nec falli possimus in opere, qui cognoscimus veritatē. Dignū est enim, vt dignitas Sacerdotalis prius noscatur a nobis, & sic deinde seruetur a nobis, vt Psalmographi sententia queat repelli a nobis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Honor igitur, fratres & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgore compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: Quippe cum videas regum colla & principum summitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se cōmuniri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui non solum præferri a domino meruit: sed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum est Euangelicis? Sic certe a Domino ad beatum Petrum dicitur: *Petre amas me?* Et ille, *Tu scis domine, quia amo te.* Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsequutus, repe-

repetitum est a Domino tertio, *Pasce oves meas.* Quas oves & quem gregem non solū tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscū eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Vnde regēdæ sacerdotibus contraduntur, merito rectoribus suis subdi dicuntur, quia Euangelico coruscante mandato, videmus nihilominus esse præfixum: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. sed sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.*

Quod idcirco commendationem Sacerdotalis dignitatis autor præmiserit, ut ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri: sic tamen, si nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Quodque sicut nihil Episcopo excellentius est, ita nihil miserabilius sit, si Episcopus de sancta vita periclitetur, & si sacerdos in crimine teneatur. Quod præterea quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior sit.

CAPVT III.

HÆc vero cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostēderem⁹, nihil esse in hoc seculo excellētius sacerdotib. nihil sublimi⁹ Episcopis reperiri ut cū

dignitatem episcopatus episcoporum oculis demonstramus, & digne noscimus, quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstramus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, Ne sit nomen inane, & crimen inmane: ne sit honor sublimis & vita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio, ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus, ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur humilior: ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam: ne digne nobis per prophetam respondeatur a Domino, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Ergo fratres sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat autores: sic episcopum non aliud nisi episcopalis opera designat, ut ex bono opere magis quam professione noscatur plus meritis esse Episcopus quam quod nomine vocitetur. Quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius,

tius,

tius, sic nihil est miserabilius, si de sancta via
 Episcopus periclitetur, si sacerdos in crimi-
 ne teneatur. Et vt leuius est de plano corru-
 ere, sic grauius est, qui de sublimi ceciderit
 dignitate, quia ruina, quæ de alto est, graui-
 ori casu colliditur. Honor quidem Episco-
 palis coram hominibus præclarus est, sed si
 ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam
 quantum præ cæteris gradus Episcopalis
 altior est, tanto si per negligentiam delaba-
 tur, ruina grauior est. Magna sublimitas ma-
 gnam debet habere cautelam. Honor gran-
 dis grandiori debet sollicitudine circum-
 uallari. *Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, si-
 cut scriptum est, Quia optimis permixta
 sunt pessima. Et alibi: Potentes potentiora tor-
 menta patiuntur.* Et scienti legem & non fa-
 cienti eam peccatum est grande. Et seruus
 sciens voluntatem Domini & non fecerit
 eam, vapulabit multum. Aliud est enim,
 quod ab Episcopo requirit Deus, & aliud,
 quod a presbytero, & aliud, quod a Diaco-
 no, & aliud, quod a clerico, & aliud quod a
 Laico vel a singulis quibusque hominibus.
 Et licet omnium hominum opera Deus in
 suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exi-
 gitur, cui plus cõmittitur. Ampliores enim
 pœnas luit, cui numerosior regendorũ po-
 pulorum fuerit cura commissa.

De speciali depictione formula ab Episcopis & Sacerdotibus iuxta Apostolicam regulam observanda, cum pulchra ac succincta eiusdem Regulae expositione.

CAPUT IV.

ET vt specialiter ipsius Episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, Apostolica est nobis regula reuoluenda, quæ de his per singula episcopales actus depingit. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: *Fidelis sermo*: ac si diceret; De quo sum loquuturus, veraciter loquor, ne quis existimet, me fuisse mentitum. subiunxit: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hoc est, si Episcopus esse desideras, magnum est, quod esse cupis, sed si & opus bonum simul amplectaris. Nã si aliter esse cupis, episcopus esse non potes. Quia sequitur: *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse.* Irreprehensibilem ait, Nã si Episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ.

Et profecto culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit usque ad mortem. Ecce ad quid voluitur dignitas Episcopalis. Et post paululũ ait: *Vnius uxoris*

uxoris virum. Si ad superficiem tantum literæ respiciamus, prohibet bigamum Episcopum ordinari: Si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhihet Episcopum duas vsurpare Ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post Catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantum orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnus tantum modo uxoris & catholicæ Ecclesiæ vir Episcopus vocitetur. Sequitur deinde & ait: *Sobrium*, hoc est, non vino tantum, sed & vitiis parcum, vt nec vino amplius indulgeat, quam oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et adiunxit sequentia dicens, *Prudentem*. Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur: Quod stultitia sit apud Deum, sed prudentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita, vt sit astutus sicut serpens & simplex sicut columba. Et denuo infert: *Ornatum*. Quod si iuxta sensum literæ tantum respiciamus, non aliud sacerdotes quam amictum quærimus clariorē. Verbi gratia: Castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter Episcopos credat esse altiorē, qui vestē induerit clariorem. Sed S. Apostolus taliter se intelligi nō vult, quia non carne Episcopum, sed mente

docet esse ornatum, vt ille Sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Et post hæc addidit *Hospitalem*. Vt humanitatis intuitu hospitio recipiat nō habētes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam, nec solus deuoret dona Christi quæ largita est bonitas Christi. Et vt hilarem datorem diligat Christus, sine murmure contribuat pauperibus Christi. Sequitur deinde & ait, *Docibilem*, id est, sic polleat Episcopus sapientia, vt non solū creditum sibi populum sufficienter doceat verum etiam & cunctarum queat heresium contradictiones a Catholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia imperitos minime doceat, & huiusmodi casu præuentus eueniat illi quod scriptum est: *Cæco cæcus ductum præbens ambo in foueam cadunt*. Qui vero talem se, vt diximus, esse ignorat, sacerdotium minime appetat, nec locum alterius vsurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorū potest corda lustrare. Subiunxit & ait: *non vinolentum*, hoc est, non multo vino deditum, vt sic credatur & videatur Episcopus, vtrum biberit an non, ignoretur, ne post largam potionē vini mulierum delectetur illecebra, nec per vinum, sicut ait apostolus, omnis nutriatur luxu-

luxuries. Demum subsequitur, dicens. *Non percussorem sed modestum*, id est, manus improbas ad cædem non habeat, & suspicionibus pravis minime percutiat conscientias aliorum, ne dum petulans inuenitur ad cædem, athleta magis quam episcopus iudicetur. Sed magis e diuerso ab aliis illatas patienter ferat iniurias, vt mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam demonstrat, & firmam patientiam cunctis ostendat. Iterum addit dicens: *Non litigiosum*, Id est, non linguam ad cõuitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & diuina libat sacrificia, litium venena proferat: quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul & maledictionem egredi, ne per eandem linguam, per quam Deus laudatur, homo maledicatur, quia non potest de vno fonte dulcem & amaram producere aquã. Deinceps subsequutus est dicens: *Non cupidum*, id est, non turpis lucri cupidum, ne lucri cupiditate Episcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, quæ est radix omnium malorum. Qui stipendiis tantum contentus Ecclesiæ suæ, penitus non ambiat, quæ intelligit esse superflua, sed de ipsa potius paupertate Ecclesiæ suæ libenter impertiat

H

pauperibus Christi, sicut scriptum est: *Hilarem dorem diligit Deus*. Et connexuit subsequencia dicens: *Domui suae bene praesse: filios habentem subditos cum omni castitate*. Domui suae bene praesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Domui, inquit, hoc est, corpori suo imperioso, iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in desiderio, luxuriae deditus, in praecipitium demergatur: sed potius filios suos suo castitatis exemplo, ad pudicitiae regulam doceat. Nam si quis domui suae praesse nesciat, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam adhibebit? Hoc est enim, de quo superius diximus, qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibet diligentiam? Et qui peccati trabem de suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? Itē sequitur & ait: *Non neophytum*, hoc est, qui nuper ad Fidem ex gentilitate aduenit, aut certe ex militia seculari ad clericatus est officium sociatus. Hi ergo non tam passim sacerdotalem arripiant gradum, ne elati in superbiam, in iudicium incidant, & in laqueum Diaboli, quia quod longo tempore minime discunt, in paruo tempore seruare non possunt. Et concludens regulam & Episcopalem formam ad extremum retulit, dicens:

Opor-

Oportet autem & illum testimonium bonū habere ab his, qui foris sunt, id est, hæreticis & ichismaticis, qui extra sanctam Ecclesiā catholicā conuenticula sibi prophana præficiūt, quos tamen testes Apostolus & testimonium dicit debere bonum habere de immaculata vita & sancta Episcopi conueratione, ne forte accipiant inimici locum Episcopo obtrectandi & infamare incipiant catholicum dogma.

De detestatione Episcoporum Sacerdotalem honorem diffamantium, qui Giezi & Symonis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & Episcopalem dignitatem pecuniis comparare non verentur.

CAPVT V.

His ita prælibatis, ut reor, in hoc opere velut a grādi fœnore nos persensimus liberatos, cum non nostra cōtra Episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus testimonia, ne velut vulgaribus fabulis nostrum iriderent opus. Cum vero autoritas nobis p̄ singula sãcti arriserit apostoli Pauli, ipsum potius Apostolū, si ausi sunt, q̄ nos reprehendāt. Et licet iā coartet nos libelli huius prolixitas, & tēpus nos vrgeat, ut ad finē huius

operis veniamus, sollicitudo tamen fraterni nos retardat amoris, illorum præcipue sacerdotum, qui mentis tepore hebetati, sacerdotalem diffamant honorem, & qui nouam prodigaliter regulam ac tempestatem peperisse desentur, & Giezi sectantes & Symonis sententiam, sancti Episcopatus gratiam pecuniis coemerunt. nequaquam timentes, cum honorem sacerdotalem pecuniis emerent, a beato Petro Apostolo secum Symone fuisse damnatos, sicut ait: *Pecunia tua tecum sit in perditione*, quia donum sancti Spiritus te credidisti pecuniis comparare. Et lepram cum Giezi a sancto suscepisse se credant Helisæo, qui gradum Sacerdotalem æstimant pecuniis comparare. Quibus cum ista dixerimus, sufficere debuit tuam comparando lepram possidere. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbis letaliter irrigari, ita & hi, qui caput videntur esse Ecclesie morbo pestifero fraternum vitiant corpus, vt nihil extotius corporis compage insauciatum possit euadere, quod negligentium Sacerdotum vitiositatis mortale infecerit virus, ita vt videas in Ecclesia passim quos non merita sed pecunie ad Episcopatus ordinem proue-

uexc.

uexerunt, nugacem populum & indoctum,
 qui talem sibi ascuerunt sacerdotem. Quos
 si percunctari fideliter velis, quis eos præfe-
 cerit sacerdotes, respondent mox & dicunt:
 Ab Archiepiscopo sum nuper Episcopus
 ordinatus, centumque ei solidos dedi, ut E-
 piscopalem gratiam consequi meruissem.
 quos si minime dedissem, hodie Episcopus
 non essem. Vnde melius est mihi aurum de
 saccello inuehere, quam tantum sacerdo-
 tium perdere. Aurum dedi & Episcopatum
 comparavi. Quos tamen solidos, si uiuo, re-
 cepturum me illico non diffido. Ordino
 presbyteros, consecro diaconos, & accipio
 aurum. Nam & de aliis nihilominus ordi-
 nibus pecuniæ quæstum profligare confido.
 Ecce & aurum quod dedi, in meo saccello
 recepi, & episcopatum gratis accepi. Nem-
 pe hoc est quod doleo, quia archiepisco-
 pus carnaliter episcopum fecit. Nam pro-
 pter pecunias spiritaliter leprosum ordina-
 uit. *Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditione,*
 quia donum sancti Spiritus gratiæ precio
 comparasti, & commercium miserabile in
 animarum exitium peregisti. Et nescii ho-
 mines & indocti in ordinationibus eorum
 clamant & dicunt: *Dignus es & iustus es, &*
conscientia misera, indignus es & iniustus

es dicit. Pronuntiat enim Episcopus, huiusmodi ad populum dicens; *Pax vobis*. Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniã acquisiuit indebitum ordinem, & Deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est animæ, & anima, quæ erat domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit dæmoni. Carni sacerdotium comparauit, & animæ detrimentum parauit. Et quid prodest huiusmodi homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod dedit cum ordinaretur Episcopus, aurum fuit, & quod perdidit anima fuit. Cum alium ordinaret quod accepit pecunia fuit, & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum. Interrogo tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & ego episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te, hæc gratia, cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: Cur inquis? vt reor, pro eo,

quod gratis datur, gratia appellatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro non aestimatur, a te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur, nec Episcopus fuisset ordinatus, si pecuniis non dedissem. Ergo ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinaberis non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos dominus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Cur ergo gratuitam aestimasti te precio possidere gratiam? Nam ut video, aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti. Adhuc tamen semel adiiciens fratrem perquiro episcopum, ne quid de approbamentis veridicis nos pratermississe videamur. Quis dat frater Episcopalem gratiam, deus an homo? Respondes sine dubio Deus: sed tamen per hominem dat Deus, homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O iustitia, O aequitas. Si homini pecunia datur, quod nihil in ordine amplius operatur, nisi solum seruitium.

quod ei creditur, cur Deo totum negatur; qui ipsum ordinem tibi largitur? Iustum ne tibi videtur, ut seruus honoretur, & dominus iniuriam patiatur: & iniuste accipiat sacerdos pecuniam, & Deus patiatur ab homine iniuriam? Sed quia pro concessio ordine Deus a te nihil expectat, cur a te Sacerdos impudenter pecuniam expectat? Deus homini concedere voluit gratis, & Episcopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis? Deus homini ut certe benignus gratis donavit, & sacerdos malignus eum sine causa predauit? Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quia non acceperis?


De ostensua repetitione malorum, ad quæ deificus ordo voluitur, probrorumque ad quæ prolapsi sunt sacerdotes, cum acriter eorundem reprehensione.

C A P V T VI.

ECce ad quæ mala voluitur deificus ordo: ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt a iudice mundi: Vos estis lux mundi. Ecce quibus subiiciuntur gentes, quibus a Domino dictum

Etum est: Vos estis sal terræ. Ergo si lux est
 Ecclesiæ Episcopus a Domino ordinatus, ita
 vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ e-
 loquio rutilante conscientiarum latebras
 illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris te-
 netur obstrictus? Et non solum quia ipse dū
 male agit digne perit, insuper & alios se-
 cum indigne perdit. Si enim meruisti salis
 possidere saporem, vt insipientium possis
 arua condire, cur infatuatus tali vitio, im-
 mundis te porcorum conculcandum pe-
 dibus præbuisi, ita vt nec alios, ne te ipsum
 possis condire? Oculorum etiam in corpo-
 re officium, id est, in Ecclesia voluntarius
 appetisti, vt reliquum per te corpus duca-
 tum lucis haberet, & nunc quadam lippitu-
 dine & caligine vitiorum obtenebratus, ne
 te ipsum luci idoneum præbes, & aliis adi-
 mis lumen. De quibus oculis in Euangelio
 dicitur: si oculus tuus simplex fuerit, totum
 corpus tuum lucidum erit. Id est, si Episco-
 pus qui lumen promeruit præesse in corpo-
 re, simplicitate est sancta & innocentia deco-
 ratus, omnis Ecclesia splendore luminis ra-
 diatur. Si autem oculus tuus nequam est,
 totum corpus tuum tenebrosus est. Id est,
 si Episcopus qui videbatur corpori subdito
 lucem præbere, obnubiletur nequitia cæci-

tate, quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Id est, quid secularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi prouocauerit, vt nulli iam iamque illicitum esse videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur: sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quicquid episcopum habuerit delectabile: Nec quisquam quod agere Pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat. Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris, præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant? Ergo quia ita est, cur te velut tetrum speculum vniuersorum oculis demonstras, ita vt non possint obscuritate tua se comptius exornare?




De

De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum, quæ in ipso demonstrata sunt, & notationem sacerdotum, quos autor nouit sibi infideliter detracturos, Inuocationemque sancti Spiritus, ut adiuet cunctos Sacerdotes ad faciendum ea, quæ ipso inspirante in hoc opusculo eloquutus est.

CAPVT VII.

SVfficiat hucusque nunc nostris' consacerdotibus, paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum demonstrauius, ne fidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent Sacerdotis nomine plus quam opere gloriari. Et quanquam sciam pro hoc libello plurimos mihi Sacerdotes, qui hæc quæ loquimur, agere nolunt, infideliter esse detracturos, credo tamen plurimos, qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum, minime prægrauamur, sic demum probatorum & sanctorum virorum orationibus adiuuamur. Age iam nunc sanctifice spiritus, qui nos in hoc opere diuinis inspirationibus

adiuisti, cunctos sacerdotes adiuua, & præ-
sta, vt faciant quæ in hoc opusculo ipse
eloqui inspirasti, vt eis vna mecum tri-
buas seculorum regna, quæ sanctis
in regna seculorum dare pro-
misisti, Amen.



APPEN-

APPENDIX DE CONIUGIO
Sacerdotum, siue Pastorum
Ecclesie.

Quia P. Thyrao subinde libet coniugium Pastorum Euangelicorum vellicare, & tū illi, tum aliis nonnullis magnum videtur Pasto-ribus in vocatione adferre impedimentū: quod Apostolus ipse innuere videtur, scribēs 1. Cor. 7. *Afflictionem in carne habere coniuges: Item, Qui ducit uxorem, curat ea quae sunt mundi: non abs re erit, si locum hunc separatim, ac paulo diligentius excutiamus, vt hic quoque candidati Ministerij sciant quid sibi agendum sit, Pastores autem qui coniugati sunt, quidnam praesidii & solatii in illa vocatione habeant.*

Non enim uero ij sumus, qui cœlibatum, & uirginitatem parui faciamus, aut eorum institu- tum laudemus, qui non explorato Dei dono, sta- tim ad nuptias conuolant, aut simpliciter neces- sarium putant Pastorem esse coniugatum, si- cut necessarium est eum esse vigilantem, sobri- um, aptum ad docendum. Locus enim ille Apo- stoli 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris maritum*, non hoc uult, oportere omnes Epi- scopos esse maritos: sed oportere eos non esse concubenarios, neque plures simul uxores siue pellices habere, quod illis temporibus nimis erat solenne, vt hodie Canonicis & sacrificulis in Papatu nimis familiare est cōcubinas & scorta loco uxorum alere. Merito igitur vituperandi

sunt ij, qui nec a Deo petunt donum cœlibatus, nec ita viuunt vt illo dono vti possint: in primis vero reprehensionem grauem meretur eorum leuitas, qui ad functiones Ecclesiasticas ideo aspirare & properare videntur vt vxores ducant, quas etiam sæpe sine delectu & iudicio ducunt, prout eos affectus rapiunt, non adiungentes sibi coniuges in Religione bene institutas, & bene moratas, quæ sint eis in vocatione subsidio & solatio: Talium, inquam, hominum consilia improbamus & tales postea merito punire, variisq; molestiis exercere solet Dominus. Nec contemnendas habent Fratres in Bohemia (quorum pleriq; hæctenus sub cruce fuerunt) rationes, cur seniores & pastores cœlibes habere malint quã coniugatos, modo vis non fiat consciētis nec leges figantur: cum Basilius ipse magnus Virginitatis præco libr. de vera Virginitate aliquoties agnoscat Dominum nusquam in Scripturis leges de Virginitate tulisse. Sed quæritur nunc an Pastores, qui vel donum continentia non habent, & iustam ac idoneam ætatem contigerunt: aut vt maxime donum illud haberent, propter stipendiorum suorum, œconomia & locorum in quibus sunt, rationem, & vt Ministerio melius vacare possint, vel ad scandalum & suspiciones vitandas, vxores ducunt, quæ eis iuxta Dei ordinationem sint subsidio: quandoquidem non ad tranandas solum libidines, verum & ad subsidium & remedium multarum incommoditatum coniugium a Deo etiam ante lapsum institutum fuit,
an

an illi (inquam) Pastores, ducentes vxores (quod in nostris Ecclesiis etiam fit ex cōsensu, approbatione, & consuetudine Ecclesiarum) peccent, & hoc nomine dignitate pastorali excidere debeāt?

Respondet pro nobis Scriptura, respondent veteres Canones, liberum esse Ministris Ecclesiæ, sicut & aliis, vti illo subsidio: non minus quam his vel illis cibis, qui legitime, & cum gratiarum actione sumuntur. Siue enim autorem huius ordinationis spectes, siue finem, nihil reperies, quod a viris Ecclesiasticis sit alienum. DEVS est eius author, & quidem antequam peccatum peruasisset in mundum: & subsidio commodo quod præsto sit non minus opus habent Pastores imo fere plus, quam alii, qui non ita tot rebus Diuinis consecrati sunt: Nec illi minus tentationibus, & insidiis Diaboli quam cæteri mortales expositi sunt. Quare tum in veterem tum in nouo Testamento Sacerdotibus & Pastoribus permissum fuit coniugium: & fuit in hac sententia Clemens Alexandrinus qui vixit circa annum centesimum nonagesimum primum (referente Historia Ecclesiastica) Petrum, Philippum & Paulum coniugatos fuisse: & vt maxime cœlibatum, temporibus iis præsertim quibus persecutiones Christianorum erant grauissimæ, & non ita facile commodæ coniuges inueniebantur, commendat Apostolus: dilerte tamen & sæpe primæ ad Corinth. septimo testatur, se nulli laqueū iniicere: & non peccare eos, qui ad coniugium animum adiungūt.

(vt loquitur Diuus Ambrosius) *suaderi potest: imperari non potest.* Honorabiles autem esse nuptias in omnibus ordinibus & hominibus nō solum monet Apostolus Hebr. 13. Sed & ipsi Canones, qui vulgo Apostolici dicuntur nolunt aliquem Ecclesiæ Ministrum obtentu religionis vxorem relinquere. Et Ignatius scribens ad Philadelphēses eos confutat, qui cœlibatum prætextu sanctimonix, & ceu ad vitæ perfectionem necessariū commendare nitebantur. Sic & in celeberrima Synodo Nicena, circa annum Christi 330. constitutum fuit, ne Episcopis aut presbyteris iugū illud imponeretur. vt vxores dimitterent: cum in ipso coniugio sit castitas, & fornicationi non sit danda occasio. In Gangrensi Synodo ann. 333. sicut citatur Distinct. 28. pronuntiatum fuit: Si quis discernat presbyterum coniugatum tanquam qui occasione nuptiarum offerre non debeat, anathema esse. In sexta synodo vniuersali Constantinop. imperante Constantino 4. cui interfuere 289. Episcopi, tale decretum scriptum fuit, prout verba habentur dist. 31. Canone Quoniam: Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, vel presbyteri quod nō suis postea copulentur vxoribus: *antiquum sequentes Canonem Apostolica diligentia, & constitutiones sacrorum virorum: Legales nuptias a modo valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis connubia eorum dissoluentes.*

Hæc cum sint tam clara, tam testata, tam authentica, cur vel Innocentii Papæ vel Siricii, qui
 coniu-

coniugium pro carnali & impuro statu habuerunt, decreta plus ponderis apud nos habeant, quam totius Scripturæ, & Apostolorum veterumque conciliorum statuta: præsertim cum omnibus temporibus fuerint, & Episcopi & alij viri graues, imo & Papæ nonnulli qui iustiores causas esse agnouerint restituendi coniugium sacerdotibus quam prohibendi: ne mundus impleretur spuris sacerdotum & Monachorum: viuaria & fossæ Cœnobiorum cadaueribus infantium, Roma lupanaribus. Qualis est (quæso) illa audacia iugum imponere conscientis, cum Deus libertatem relinquat & remedium offerat & præscribat? Quæ impudentia sub voto castitatis fouere tetras libidines, & publica lupanaria, (ne de aliis turpioribus dicam) potius quam honestæ nuptiæ concedantur? Sunt itaque falsæ Pontificiorum hypotheses: qui sanctimoniam in solo cœlibatu constituunt, cum illa consistat in cordis puritate, & bona conscientia, & Hieronymo teste Abraham in coniugio æque placuerit Deo, atque virgines in sua castitate: & disterte scribat Petrus ipse Lombardus libr. 4. distinct. 33. Coniugium non tantum esse imperfectorum, verum etiam perfectorum. Falsum est & illud: Coniugium non habere alium finem, quàm ad frænandas libidines: Non enim Adamus cum ei adiungeretur Eua, ab illis titillabatur: sed in adiutorium, & prolis causa vxorem ei Deus formauit. Falsa denique est illa hypothesis, coniuges solos variis distrahi sollicitudinibus, quibus cœlibes careant. Nulla enim grauior, nulla tam

irrequieta & molesta sollicitudo, quam eorum qui vel a libidinibus, vel a mala conscientia dies noctesque exagitantur: quod multis cœlibibus, multis Iesuitis, & aliis Monachis & Canonicis irregularibus cōtingit. Nec levis est eorum sollicitudo quos circa rem culinariam, circa rem rusticam, circa rusticanas & urbanas negociationes per totum annum occupatos esse oportet: qui ne nec sani nec ægri sese tuto cuiquam committere possunt: Hinc factum in Papatu ut Episcopi, Canonici, & Monachorum plerique docendi munere relicto, toti in rebus suis procurandis & aliis rebus secularibus occupati sint. Et iam scilicet Thyreus Evangelicis Ministris coniugium plenum sollicitudinibus obiiciet. Sint in coniugio sollicitudines: at adest bona conscientia: adest Dei benedictio: & sunt præcipuæ sollicitudines accersitæ sollicitudines, personis potius, & incommodis nonnullorum coniugum moribus, quam coniugio tribuendæ.

Summa hæc est, Cœlibatum castum suaderi, optari & a Deo peti quidem posse: imperari, & cogi nec posse nec debere: quemque in vocatione, ad quam vocatus est religiose, & caste Deo servire debere: Dominum Deum tentandum non esse: Coniugium typum pulcherrimum, & sanctissimum coniunctionis Christi cum Ecclesia, in omnibus ordinibus qui ad illud vocantur, honestum & licitum esse, castum denique torum, Hypocriticæ & impuræ
Pon-

PASTOR ÉVANGELICVS. 131

Pontificij Cleri castitati anteponendum. Et
hæc quidem hoc tempore Petro Thyrao &
& eius sodalibus nuptiarum castarum ini-
micis de coniugio Pastorum
paucis responsa
sunto.

I 2



INDEX.

	pagina
A	
<i>De libero Arbitrio.</i>	63
<i>Ambrosius de dignitat. Sacerdot.</i>	103
C	
<i>De Coniugio Sacerdotum.</i>	125
<i>Catholicum quid sit.</i>	47
<i>Canones de ratione bene pascendi.</i>	85
<i>Chrisma.</i>	55
<i>Compellers intrare quid.</i>	94
D	
<i>Disciplina Ecclesiastica.</i>	100
E	
<i>Ecclesia quomodo credatur.</i>	16
F	
<i>De Fuga in persecutione.</i>	89.90
G	
<i>De Gregorio Episcopo Romano.</i>	73
H	
<i>Herescologia ficta a Thyrao.</i>	50
<i>Humilis quis.</i>	97
I	
<i>Impositio manuum.</i>	40.54
<i>Intrare per ostium quid.</i>	65
L	
<i>Laici qui.</i>	45
<i>Leo Episcopus Romanus.</i>	72
<i>Lac doctrine quid.</i>	86
M	
<i>Ministerii excellentia.</i>	11
<i>De Miraculis.</i>	74
<i>Mercenarius quis.</i>	88

INDEX

P

<i>Pastoris definitio.</i>	88
<i>Pastorum vocatio.</i>	22
<i>Pastoralis officij partes.</i>	85
<i>Pastores quatenus terrena procurent.</i>	87
<i>Pastorum presidium.</i>	96
<i>Petro soli non commissas oues.</i>	28
<i>Principum potestas in rebus Ecclesiastic.</i>	32.49
<i>Sub Principibus electi, an vere electi.</i>	33
<i>Papæ audacia.</i>	27
<i>Platina de Papa querela.</i>	39.60
<i>Papa subiectus censura.</i>	62
<i>Papæ aliquot Heretici.</i>	70
<i>De Papissa Gilberta luculenta testimonia.</i>	68

R

<i>Romana Ecclesia quando defecerit.</i>	69
<i>De sede Romana.</i>	68

S

<i>Schvvenckfeldij obiectiones contra Ministerium.</i>	
12.13.14.	
<i>De Successione.</i>	39.67.

T

<i>Thyrai obiectiones contra vocationem Ministrorum.</i>	
41.	
<i>Thyrens sistitur coram Pontificijs.</i>	61 & 62
<i>Thyrens Lutheranus de corpore in pane latente.</i>	62
<i>Thyrai calumnia.</i>	65
<i>De Transubstantiatione.</i>	82

V

<i>De Vocatione in Papatu.</i>	34
<i>Vocationes extraordinarie.</i>	35



INDEX.

Vocationum extraordinariorum legitimarum & Se-
culariorum discrimen.

37


Vocationis ordinariæ ritus.

38. 40

ERRATA.

Pag. 48. linea 20. lege *que* pro *qui*. Ibid. linea
extrema, in fine lege: *que* tot simul falsa supposita.
P. 78. linea antepenult. initio, lege *unum* pro
verum.

FINIS.





42 ³/₄

Ca 220

Sb







PASTOR EVANGELICVS,
sive
DE LEGITIMA
PASTORVM EVANGELICORVM
vocatione, officio &
praesidio.

*Cum breui & perspicua refutatione eorum, qui
vel de Ministerio verbi diuini: vel de vocatione
Ministrorum Euangelicorum minus
honorifice sentiunt:*

Autore
DANIELE TOSSANO S. Theologiae
professore in Academia Heydel-
bergenſi.



HEIDELBERGAE,
Anno c1o 1o xc.

